
Bibliotheca Alexandrina
0563097







DISSERTATIO

DE

IBN HAUKALO GEOGRAPHO

ET

DESCRIPTIO IRACAE PERSICAE.

VIRO ILLUSTRISSIMO,

ANTONIO REINHARDO FALCK,

ORDINIS LEONIS BELGICI DECURIONI, REBUS ACADEMICIS ET SCHOLASTICIS, PUBLICAE INDUSTRIAE ET COLONIIS PRAEFECTO, ETC. ETC. ETC.

NEC NON

VIRIS NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORIBUS,

FRANCISCO ADAMO VAN DER DUYN,

ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI PRIMARIO, COMITI IN MAASDAM, HOLLANDIAE MERIDIONALIS GUBERNATORI, ORDINIBUS GENERALIBUS ADSCRIPTO, ETC. ETC. ETC.

HENRICO COLLOT D'ESCURY,

ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI, BARONI IN HEYNENOORD, ORDINIBUS GENERALIBUS ADSCRIPTO, ETC. ETC. ETC.

ET

quaerenda sit, cur eorum numerus, quibus Arabum scripta curae sunt, quotidie increscat. Quod ne temere dixisse videamur, testem advocamus medii aevi historiam, cujus neminem adeo imperitum esse putamus, ut nesciat Literas Humaniores aliquando ex nostro orbe profligatas et internecioni traditas, ab Arabibus fuisse receptas, custoditas, nutritas: atque hoc Arabum erga literas beneficium tale fuisse ac tantum, ut omnes et singulas eodem fere amore amplexi sint, nullamque cognitionis humanae partem intactam reliquerint. Testis quoque nobis est Arabum Historia literaria, quae quamvis hucusque non nisi levissime adumbrata sit, insignia tamen nobis offert indicia, e quibus efficiamus eos in plerisque disciplinis, severioribus maxime, curandis summo studio fuisse versatos. His vero Historiae testimoniis adstipulantur, quae adhuc supersunt, innumera doctrinae atque ingenii Arabici opera; quorum nonnulla, Virorum Doctorum cura et lucubratione in lucem emissa, reliquorum, adhuc in Bibliothecis latentium, desiderium apud omnes excitarunt.

Quae cum ita sint, mirum non est linguae Arabicae studium tantopere increvisse, ex quo VV. DD. Codices MSS. Arabicos pervolvere et perscrutari decreverunt, ut thesauros, quos in iis latere suspicabantur, e tenebris in lucem protraherent, et blattarum tinearumque rapacitati eriperent. Id vero potius miremur, eos tam sero hoc consilium iniisse, atque etiamnum plures esse scientiarum partes, Arabibus carissimas, in quibus explorandis vel parva, vel nulla adhuc cura posita fuerit. Inter eas autem, quae infelici hac sorte premuntur, nullae certe minus dignae sunt quae ita negligantur quam disciplinae Mathematicae et Astronomicae, quibus Arabes sedulo animum applicuisse certissimum est, et quas probabiliter quoque promovisse magna cum veri specie conjicimus, adeo quidem, ut nonnulli quaedam in his scientiis inventa ignotae originis, illis auctoribus deberi non immerito censeant. Inutilem itaque laborem is non suscepturus esse videtur, qui GOLII Viri Illustr. exemplum secutus, scientiarum Mathematicarum peritiam cum linguae Arabicae studio conjungere velit, ut nempe indaget atque exquirat, quid demum in his disciplinis profecerint Arabes, atque adeo harum disciplinarum historiam ex tenebris, quibus adhuc involuta jacet, tandem aliquando in lucem publicam producat. Quod si quis fortasse hunc laborem propterea minus fructuosum fore putet, quod Arabes in Mathesi, Graecis decessoribus suis, palmam cedere cogantur, caveat is ne praematurum ferat judicium, neve objectionem moveat, quam in suum commo-

modum convertat adversarius. Arabes enim cum Mathematicos Graecos maximi fecerint, eorumque operum plurima in suam linguam transtulerint; quid gratius aut jucundius nobis accidere potest, quam ut Graecorum scripta, quae temporis injuria vel misere mutilavit, vel plane delevit, e MSS. Arabicis integra restituantur, vel quasi ab inferis in vitam revocentur? Cujus rei cum praeclara nonnulla exempla adsint, spes nobis est, fore, ut haec novis deinceps augeantur: adeoque vel hac ex parte Linguae Arabicae cum Mathesi conjunctionem huic disciplinae utilissimam futuram esse existimamus.

Quorsum vero tendit haec nostra oratio? Ut intelligat B. L. quibus rationibus commotus ipse ego Matheseos et Astronomiae amantissimus, aliquam temporis mei partem linguae Arabicae addiscendae tribuere constituerim. Etenim quo tempore a Theologia (cujus studii recte instituendi gratia etiam literis Arabicis operam dederam) ad illam Philosophiae Naturalis partem, quae scientias Mathematicas, Physicas et Astronomicas comprehendit, me converterem, argumenta, a praeceptoribus meis aestimatissimis, SWINDENIO imprimis et WILLMETO VV. Celebb., proposita et hic a nobis obiter memorata, tantam in me vim habuerunt et auctoritatem, ut in linguae Arabicae studium omnibus viribus mihi incumbendum esse decernerem. Quod consilium duae potissimum causae maxime firmarunt. Primum enim laeta mihi arridebat spes, fore ut aliquando, meo qualicunque labore, e Codicibus MSS. Arabicis Mathematici et Astronomici argumenti, qui plurimi in ditissima Bibliotheca Leydensi asservantur, sed qui inde a GOLII V. C. tempore ad hunc usque diem intacti neglectique jacuerunt, nonnihil prodiret, quod in commodum earum disciplinarum converteretur, quarum amore jam a prima juventute fuissem captus, et in quibus deinceps vitae meae tabernaculum collocare constituissem. Deinde vero, cum saepius metus me invaderet ne tanto labori perficiendo vires meas impares invenirem, sublevavit me, animoque stimulos addidit cogitatio me, studiorum causa Leydam proficiscentem, praeceptorem esse nacturum HAMAKERUM V. C., cujus viri summi auxilio si adjuvarer, vix mihi de consilii mei, quamvis gravissimi, eventu desperandum esse censebam. Quod quam vere conjecerim, vel haec ipsa operis nostri editio ostendit atque declarat. Nam quo primum tempore Leydam delatus, HAMAKERO V. Cl. futuram studiorum meorum rationem exposuissem, hic, qua est humanitate, et quo ardore in omnes bonas literas, imprimis vero Orientales,

fer-

fertur, opem mihi suam et auxilium laetus lubensque obtulit, atque me sua amicitia prosequi haud est dedignatus. Ego vero tantam tanti viri erga me benevolentiam grato animo colens, totum ipsi me tradidi, ejusque consiliis, qua potui cura, obtemperare studui. Suadente igitur HAMAKERO V. C., ante omnia, interiorem mihi cum Arabum lingua familiaritatem comparare conatus sum, ne aliquando linguae imperitia impediret quo minus Arabes Mathematicos et Astronomos sine difficultate legerem et explicarem. Quod studium, ne nimis esset a meo proposito alienum, ita instituendum esse censuit Praeceptor meus aestimatissimus, ut, inter alia Arabum scripta, praecipue Geographica legerem, quae, quamvis apud Arabes parvam, non tamen prorsus nullam, cum Mathematicis et Astronomicis habent affinitatem. Itaque cum eo essem progressus, ut cum aliquo fructu Codices MSS. legere posse ipsi viderer, tradidit mihi Geographiae Abulfedeae Codicem, quem egregium Bibliotheca Lugduno-Batava possidet, in cujus operis prolegomenis vertendis virium mearum periculum facerem. Simul aliam ejusdem operis partem (vulgo tabulam dicunt) elaborandam esse putavit, et quidem talem, quae nondum in lucem emissa, editione maxime digna videretur, veluti illam, quae Iracae Persicae, sive Regionis Montanae, descriptionem continet. Hoc labore pro virili defuncto, ceteros, quibus nostra Bibliotheca instructa est, Geographos Arabes, Ibn Haukalum, Ibn Al Wardium, Kazwinium, alios, legendos et, quatenus Iracae Persicae descriptiones continerent, excerpendos mihi dedit, eo scilicet consilio, ut alterum cum altero compararem, atque sic aliquando, conscripta de Regione Montana dissertatione, acti mei laboris publice rationem redderem.

Quot et quanta igitur incitamenta et eximia favoris documenta ab HAMAKERO V. C. in ipsis studiorum meorum initiis expertus sim, ex dictis facile intelliget B. L. Neque vero haec quidquam aliud efficere potuerunt, nisi ut, tanti viri auxilio fretus, ad conscribendam dissertationem me accingerem, atque ad istum laborem perficiendum, de quo suscipiendo profecto, si ipse meis viribus stetissem, numquam cogitassem.

His quidem initiis B. L. nostrum opus suam debet originem, quam cum abunde explicuerimus, nunc ad ea exponenda transeundum est, quae cum de nostri operis compositione, tum de ipsa scriptionis editione, maxime memoranda sunt.

Constat opus duabus praecipue partibus, quarum altera disputatio est de Ibn Hau-

Haukali Opere Geographico, altera collectionem continet variarum descriptionum Regionis Montanae. De singulis seorsim videamus.

Atque hoc loco ante omnia declarandum est, quaenam inter hanc de Ibn Haukali Geographia disputationem, et reliquam operis nostri partem intercedat necessitudo; quae causa sit, cur disquisitio de nonnullis Codicibus MSS. ad postremam operis partem intelligendam minime necessaria, huic a nobis praemissa fuerit. Quam rerum dispositionem ne quis miretur vel etiam reprehensione dignam judicet, sequentia in antecessum monenda sunt. Quo tempore in vertenda Iracae Persicae tabula Abulfedaea eramus occupati, eam integram describendi, in Latinum sermonem transferendi et notis, ex aliorum Geographorum narratione conflatis, ornandi consilium nobis erat. Cum vero ceteros Geographos legendi initium feceramus, tantam invenimus variarum rerum copiam et molem, ut prae reliquarum scriptionum ubertate Abulfedaea brevitas nobis paene sordere videretur. Quapropter, omnibus rite consideratis, rerum ordini et perspicuitati multo melius consultum iri putavimus, si omnium Geographorum Arabum, quos Bibliotheca Lugduno-Batava possidet, excerptis, Iracae Persicae enarrationem spectantibus, quae a nobis descripta fuerant, versio tantummodo et annotatio critica subjungeretur, Codicum vero, quibus usi essemus, notitiae, auctorumque vitae, si inveniri possent, iisdem praemitterentur. His ita constitutis, ecce! in ipsis initiis alia rursus causa nos impedivit quo minus propositum nostrum perficeremus. Etenim in colligendis iis, quae ad notitiam de opere Ibn Haukali, auctorum nostrorum antiquissimi, conscribendam necessaria videbantur, versati, in tot et tam graves incidimus quaestiones, quibus proponendis et solvendis integra disputatio facile absumeretur. Idcirco, ne limites operi Academico concessos migraremus, instituti nostri ratio altera vice quodammodo immutanda erat; quamobrem eam operis nostri partem, quae minoris momenti haberi posset, quippe quae intra notitiam operum Geographicorum et Codicum MSS. subsisteret, necessitate coacti praetermisimus. Hoc autem nobis, etsi invitis, ideo tamen minus molestum accidit, quoniam de plerisque libris Geographicis a nobis usurpatis, alibi commentationes exstant. Cum vero ex his Ibn Haukali opus Geographicum, de quo parum vel nihil fere cognitum est, sit excipiendum, disputationem de hoc libro jam conscriptam, ut in ipso partus articulo subita quasi nece opprimeremus, a nobis impetrare non potuimus.

 At-

Atque haec quidem causa est, cur ista de Geographia Ibn Haukali dissertatio seorsim in operis nostri limine inveniatur.

Quod ad ipsam hanc scriptionem attinet, neminem fore credimus, quin eam suo loco dignam censeat, tum quoniam accuratiorem operis Ibn Haukali conspectum exhibet, tum quoniam de aliis similis argumenti Codicibus huc usque plane ignotis, nisi certam, at valde tamen probabilem sententiam continet. Qua in re ne mihi ipse laudem tribuere videar, duo potissimum adjumenta me expertum esse lubens profiteor. Alterum est summum HAMAKERI V. C. ingenii acumen, quod, ut in universo hoc opere, ita maxime quoque in hac disputatione, ubivis mihi auxilio fuit et gravissimas saepe difficultates levissimo negotio sustulit. Alterum est bonus, ut ita dicam, fortunae casus, quo tum in memorabilem locum p. 58 ex Ibn Haukali Codice descriptum, tum etiam peropportune, etsi pars disputationis jam typis esset excusa, in KOSEGARTENI V. C. libellum de *Mohammede ibn Batuta Tingitano* incidimus. Quae omnia nisi accidissent, valido firmoque praesidio caruisset nostra argumentatio. Cum vero in hac disputatione non nisi veri inveniendi inventique stabiliendi ardore atque studio lati et impulsi fuerimus, nullam a Viris Eruditissimis, quibus assentiri non potuimus, reprehensionem extimescendam nobis esse putamus; quin etiam si alicubi, sive in hac ipsa disputatione, sive in reliqua operis parte, lapsi fuerimus, errores nobis nostros condonatum et benigne indicatum iri speramus atque confidimus.

Consilium nostrum in hac disputatione conscribenda cum legentibus satis sit manifestum, de eo h. l. plura addere opus non est. Id tantum animadvertere nobis liceat, in notis textui subjunctis, quarum nonnullas, litera H. ornatas, HAMAKERI V. C. benivolentiae atque doctrinae debemus, non nisi ea fuisse relata, quae imprimis vel ad verba auctorum corrigenda vel ad loca graviora illustranda, vel ad nostram in ipso textu prolatam sententiam confirmandam, maxime necessaria nobis esse videbantur. Nam si omnia, quae aliqua explicatione indigerent, debita cura exponere voluissemus, profecto duplo major et nimis magna scriptio evasisset. Porro monendum est, in citandis nonnullis locis Abulfedaeis, quae typis jam olim fuerant descripta, partim GRAVII, partim REISKII, aliquando etiam MICHAËLIS versionem a nobis fuisse usurpatam, in eo exemplum secutis SACYI V. Cel. (in *Magasin Encyclop.* Tom. VI); etsi fortasse novam et aliquando correctiorem in-

interpretationem adjicere praestitisset; nunc vero praecipua tantum versionis Gravianae et Reiskianae menda in ipso textu correxisse vel in notis indicasse suffecerit. Denique nos, Linguae Persicae hucusque ignaros, locorum Persicorum, in hac, uti in altera operis parte, obviorum, interpretationem HAMAKERI V. Cl. indefesso nobis opitulandi studio debere, silentio non est premendum.

Haec fere sunt, quae ad priorem hujus operis partem monenda habemus. Quod ad alteram attinet, in ista, ut verbo jam indicavimus, tria seorsim consideranda sunt, textus Arabicus, versio et annotatio critica.

Textus Arabicos, Regionis Montanae descriptionem continentes et ex variis libris Geographicis depromtos, eum in ordinem disposuimus, ut, unius aetatis ratione habita, ab antiquissimo ad recentissimum progrederemur. Agmen ergo ducit IBN HAUKALUS, omnium, quos possidemus, Geographorum Arabum aetate primus, e cujus opere كتاب المسالك والممالك, ampla, quam memoravimus, expositione ornato, Regionis Montanae enarrationem, eo, quem in ista dissertatione p. 76 seq. indicavimus, ordine compositam descripsimus. Ad hunc auctorem nihil aliud habemus animadvertendum, nisi quod in hac Iracae Persicae descriptione nonnulla desiderentur, quibus hujus regionis accurata expositio vix carere posse videatur. Hoc autem nec auctoris vitio, nec nostro, accidit. Nam Ibn Haukalus eam Iracae Persicae conditionem spectavit, quae ipsius aevo obtinebat: nobis autem ea adjicere integrum non erat, quae lapsu temporis ad Iracam Persicam relata, Ibn Haukali aetate alius regionis ditioni subjecta, atque adeo ab ipso auctore alibi tradita fuerant. Id enim ante omnia nobis agendum esse putavimus, ut limites, quibus singuli Geographi Regionem Montanam inclusissent et circumscripsissent, haud temere migraremus, etsi in illis limitibus detegendis et definiendis apud nonnullos auctores magnas saepe experti simus difficultates.

Sequuntur excerpta ex YAKOUTI, auctoris seculi VI et VII, opere المشترك وضعا المختلف صقعا inscripto, cujus notitiam vid. in HAMAKERI V. C. *Specim. Catal. Cod. MSS. Bibl. L. B.* p. 69. Quae ex hoc libro descripsimus, non integram neque continuam enarrationem continent, quoniam Yakoutus non nisi loca *scriptione sociata, situ vero diversa* recensuit, atque omnia secundum Alphabeti ordinem disposuit. Nos igitur, ceteris brevitatis gratia omissis, eorum tantum locorum descriptiones dedimus, quae auctor in Regione Montana sita esse affirmaverat. Num ve-

vero, omnia, quae in hoc opere Geographico inveniuntur, Regionis Montanae loca a nobis descripta sint, affirmare non audemus, cum in nostro Codice, ab initio operis ad finem usque, omnia una et haud interrupta serie decurrant, atque adeo, licet novae plerumque paragraphi rubro atramento indicatae sint, facile accidere potuerit, ut in tot locis perlustrandis, hic illic unus vel alter, qui in nostra excerpta referri debuerat, oculos nostros effugeret. Quod vitium facile mihi condonabunt, quicunque ejusmodi in Codicibus MSS. Arabicis perquisitionis difficultatem experientiâ norunt.

Eadem fere ratio est eorum, quae excerpta ex Moschtareko sequuntur et a nobis descripta sunt ex celeberrimi KAZWINII, annos circiter quinquaginta Yakouto inferioris, opere Geographico اثار البلاد واخبار العباد inscripto. Kazwinius nempe totum orbem cognitum in septem climata dividens, horum singula seorsim descripsit, in iisque varias urbes tractusque, literarum Alphabeti ordinem secutus, exposuit; quo factum est ut loca in eadem regione sita maximo saepe in Kazwinii libro intervallo a se invicem divulsa inveniantur. Omnia igitur, quae ad Regionem Montanam pertinere videbantur, a nobis sedulo fuere collecta, etsi in his rite definiendis nonnunquam haeserimus. Cum enim Kazwinius non semper accurate declaret, utrum tractus in ipsis Regionis Montanae limitibus siti, vel iis proxime adjacentes, ad hanc regionem an ad aliam referendi sint, saepius dubitavimus an ejusmodi loca in nostram collectionem essent recipienda. Atque haec etiam causa fuit, cur infausto errore Holwanis, urbis ad Iracam Arabicam pertinentis, descriptio in hac operis nostri parte legatur. Quoniam autem imprimis curandum erat, ne liber praeter necessitatem incresceret, hanc, uti alibi, ita quoque hoc loco normam secuti sumus, ut ea tantum loca describeremus, quae vel certo vel maxima cum veri specie a Kazwinio ad Iracam Persicam relata fuissent. In excerpendis igitur ex hac Geographia locis ad Regionem Montanam pertinentibus summam, quam potuimus, parcimoniam observavimus; at vel sic tamen omnium maxime haec operis pars increvit, quod praecipue narratiunculis et fabellis tribuendum, quibus auctor opus suum amplificandum et ornandum esse putavit. Quidquid enim ad hunc illumve Iracae Persicae locum a Kazwinio memoratum invenimus, id integrum descripsimus, quamvis nonnumquam occurrerent quae hac cura minus digna esse viderentur. Idque eam praecipue ob causam a nobis factum

est,

est, quoniam ejusmodi fabulae et historiolae, utut insipidae, aliquando talia continent, quae omni fructu non sunt destituta. Quod ut exemplo probemus, afferre hic liceat miraculosam traditionem p. 44. v. طرزك occurrentem, ex qua sequentia discimus. 1°. Apud Tharzakum Moslemos cum Persis conflixisse. 2°. Mala aurantia non in ditione Kazwinensi, sed Rayensi crescere, nec aestate matura esse. 3°. Thorouzum medio inter Tharzakum et Kazwinem loco sitam esse. 4°. Zacaryae nostri patrem non Mahmoudum, ut nonnulli scribunt, sed Mohammedem appellatum fuisse. Ejusmodi haudquaquam spernenda argumenta, cum forte nunc vel deinceps ex aliis fabellis derivari possint, eas omnes et integras operi inserere haud dubitavimus. — Codex, quo usi sumus, est pessimae notae, adeo quidem ut qui eum pravitate aequent, pauci, qui superent, nulli, inveniri posse videantur. Ubivis enim puncta diacritica vel plane desiderantur, vel alieno loco sunt adscripta; neque etiam pauca exempla sunt literarum et verborum, quae corrupta, transposita et omissa sunt. Haec vitia maximam partem correximus et praecipuas emendationes in notis criticis indicavimus. Supersunt tamen nonnulla loca, de quorum recta scriptione dubitamus, et alia, imprimis nonnulla nomina propria, quae quibus literis proponenda sint, ignoramus. Nec desunt etiam, quorum rectam scriptionem tum demum, cum Kazwinii textus universus jam typis esset expressus, ex aliis Geographis, veluti Lexico Geographico et Ibn Ayaso, didicerimus; quod nobis eo minus vitio versum iri speramus, quo magis secum reputent Lectores, nos operis magnitudine temporisque brevitate coactos, omnes variorum Geographorum textus explorare non potuisse, antequam operae dissertationem typis describere inchoarent. Quo factum est ut, etsi saepe alterum auctorem cum altero contulerimus, ea tamen comparatio non ubivis neque etiam ita accurate, atque oportuisset, instituta fuerit. Isti vero negligentiae, in quam inviti incidimus, quantum fieri potuit, in notis mederi conati sumus. Ceterum vix opus est ut moneamus hanc Codicis nostri pravitatem plurimarum et gravissimarum difficultatum nobis causam fuisse, in quibus tollendis ubivis HAMAKERI V. Cl. auxilium imploravimus, cujus viri summi sagacitate adjuti id tandem aliquando effecimus, ut pauca tantum loca conclamata superessent.

Kazwinium excipit ABULFEDA, celeberrimus seculi XIV Geographus, cujus integram Iracae Persicae expositionem e nobilissimo Codice Leydensi descriptam, huic operi

ri inseruimus. In ea autem describenda ita sumus versati ut primum marginalia (p. 51 — 53 fere extr.), deinde vero singulas urbium aliorumve locorum enarrationes (p. 53 extr. — p. 60 med.) traderemus. His denique addenda esse putavimus, quae idem auctor in Prolegomenis ad suam Geographiam, Iracam Persicam spectantia, tradidisset; quae igitur tamquam supplementum vel appendicem (p. 60 — 61) reliquae parti subjunximus. In ipsa vero tabula edenda a solita norma, compendii causa, deflexímus. Notum est ex KOEHLERI V. Cl. *Tabula Syriae* qua ratione Abulfeda opus suum conscripserit. Nos vero hanc rationem quodammodo mutandam esse censuimus, ne inutiliter operis molem augeremus. Idcirco omnia continua serie inter se junximus, ita ut statim post urbis locive nomen ejus longitudo et latitudo ex variis auctoribus depromta tradantur, atque indicetur in quo climate et in qua regione locus de quo agitur, situs sit; adeoque verba من الرابع , من الخامس etc. et من الجبل, etc. ita intelligenda sunt, ut priora significent locum in quarto vel quinto climate, ultima, illum in Regione Montana jacere. Hoc ideo breviter expressimus, ne saepius verba اقليم المعروف et اقليم الحقيق repetenda essent. Idem brevitatis studium causa fuit, cur pro verbis درجة et دقيقة, gradus et minuta significantibus, horum, apud recentiores accepta, signa ° et ′ adhibita sint, quod etsi in textu Arabico insolitum, haud minus tamen perspicuum lectorique gratum fore confidimus. Majoris autem facilitatis gratia pro literis, quae in nostro Codice quantitatum signa sunt, solita Arabica numerorum signa (cifras vocant) substituimus. At vereor ut omnes literas recte interpretati simus; nam in Codice nonnullarum ductus saepe perquam est dubius, ita ut duplicem nonnumquam lectionem admittat, quod imprimis de ح et ج nec non de nullitatis signo valet, cui numeri decimi figura aliquando valde est similis. De quibus cum, ubi necesse erat, in notis relatum sit, haec in praefatione breviter monuisse suffecerit. Postquam igitur loci situs esset definitus, ei subjunximus quam vocant ضبط الاسماء, sive nominum rectam scriptionem, quam denique comitatur ipsius urbis tractusve brevior descriptio.

Iracae Persicae descriptionem Abulfedaeam proxime sequuntur excerpta e LEXICO GEOGRAPHICO, cujus operis notitia exstat in HAMAKERI V. Cl. *Specimine* p. 67. Quod autem hunc librum praestantissimum facit, ingens scilicet locorum multitudo, eorundemque, secundum Alphabetum, egregia dispositio, illud ipsum no-

nobis maximam molestiam creavit. Nam integrum illud Lexicon ab initio ad finem perlegendum nobis fuit, ut ea loca, quae ad Iracam Persicam pertinerent, excerperemus et colligeremus. Qui labor etsi minime jucundus, non tamen plane infructuosus fuit, quippe qui tot loca Regionis Montanae, alias maximam partem incognita, nobis suppeditavit, ut septemdecim paginas impleant. Ex paucis autem his, solam Iracam Persicam spectantibus, quodammodo de integro opere judicium ferat L. B., mihique ignoscat, precor, si in posterum fortasse ex hoc Thesauro nonnulla prodeant, quae in nostro opere memoranda fuissent. Neminem enim fore putamus, qui, quo consilio nos librum perlustravimus, eodem illum pervolvens, omnia, quae par foret, primo statim obtutu animadvertat, nullumque locum negligat; idque eo minus fieri posse nobis persuasum est, quo magis reputemus in hoc Lexico quoque, ceterum accuratissimo, nonnulla inveniri loca, quae quorsum referenda sint, non satis est perspicuum.

Pervenimus ad Appendicem, de cujus origine et indole pauca dicenda restant. Supra jam saepe monuimus, integros omnium Geographorum Arabum, quos Bibliotheca Lugduno-Batava possidet, textus Iracae Persicae enarrationem continentes, edendi propositum nobis fuisse. Idcirco praeter Codices supra memoratos, jam dudum descripseramus, quae in Kazwinii libro عجايب المخلوقات appellato, in Ibn Al Wardii, Ibn Ayasi et Mohammedis ibn Abou Thaleb Geographiis de Regionis Montanae memorabilibus erant tradita. Cum vero opus nostrum in dies cresceret atque nostra ex Kazwinii Historia Naturali et Ibn Ayasi Geographia excerpta pauca tantum, ex Ibn al Wardii vero opere nulla continerent aliunde incognita, praestare nobis visum est, ut, ceteris omissis, non nisi ea ex his libris ederemus, quae apud alios auctores non invenirentur, iisque pauca adjungeremus, quae Mohammed ibn Abou Thaleb de Iraca Persica, partim nullius momenti et haud leviter corrupta, partim vero etiam scitu dignissima tradidisset. In his autem ita disponendis dum occuparemur, ecce! peropportune ad nos pervenit Codex Ibn Younesii Astronomicus, post viginti annorum absentiam HAMAKERI cura Parisiis Leydam revocatus, e cujus tabula Longitudinum et Latitudinum ea describere placuit, quae Iracae Persicae urbes spectarent; eo imprimis consilio ut cum Longitudinibus et Latitudinibus apud Abulfedam inveniendis possent comparari. Haec igitur omnia secundum auctorum aetatem disposita, sub Appendicis nomine reliquae operis parti adjungere decrevimus.

Hanc itaque appendicem inchoat series urbium Regionis Montanae, quarum situs Longitudine et Latitudine est definitus, ex IBN YOUNESII, auctoris seculi Hedjrae IV, libro الزيج الكبير, sive *Tabulae Astronomicae magnae*, appellato, descripta. Eadem vero de graduum et minutorum signis hic memoranda habemus, quae supra ad Abulfedam.

Hanc seriem sequuntur pauca quaedam ex KAZWINII libro عجايب المخلوقات excerpta; ea scilicet, quae in altero ejusdem viri opere Geographico non reperiuntur. Huc pertinent جبل التر, نهاوند, عين, et pars descriptionis montis Domawend; nam reliqua nihil differunt ab illis, quae ex Kazwinii Geographia p. 28 et sq. edidimus.

Kazwinio subjecta sunt quaedam ex IBN AYASI, auctoris seculi X Moslemici, Geographia, apud reliquos haud obvia; nam cetera, quae Ibn Ayasus de Regione Montana retulit (saepe mirum in modum confusa) haud digna visa sunt quae ederentur. Cum vero in duobus, quibus usi sumus, Codicibus, omnia, nullo fere ordine observato, promiscue sint exposita, nos melius facturos esse putavimus, si, quae describerentur, eadem alphabeti seriem, ab aliis quoque Geographis observatam, sequerentur. Urbis Kazwinis descriptio apud hunc auctorem bis occurrit, iisdem fere verbis proposita, nisi quod alterius verba extrema sunt illa واليها ينسب etc., quae apud nos quoque (p. 81) in ipso descriptionis fine leguntur.

Tandem hujus appendicis, adeoque textuum a nobis editorum, agmen claudit integra adhuc de Iraca Persica paragraphus, ex Mohammedis ibn Abou Thaleb (ipso Ibn Ayaso junioris et, teste Hadji Khalifa, A. 994 defuncti) opere descripta, quam certe in appendicem non retulissemus, si operae pretium fuisset illam, tamquam singulare caput, ceteris sectionibus majoribus adjungere. Codex, ex quo hanc partem descripsimus, merito inter maxime corruptos primarium locum occupat. Plurima ejus vitia correximus, attamen vereor ne plura adhuc supersint, in nominibus propriis maxime, quorum multa intacta relinquere coacti sumus, tum quoniam in nostro Codice perspicue ita essent exarata, tum, quod saepe nulla nobis esset mutandi auctoritas.

Textum Arabicum in Latinum sermonem accurate transferre summo studio conati sumus; at quousque hoc propositum assecuti simus Viri Docti videant. Quod si forte nostra versio omni laude subinde non possit defraudari, eandem tamen non-

nonnumquam nobis ex voto non cessisse ipsi optime cognoscimus et lubenter fatemur. Ubivis enim, praesertim in Codice Kazwinensi, cum locis misere corruptis nec facile restituendis nobis res erat, quod quantam in auctoris sententia rite intelligenda et accurate interpretanda moveat difficultatem, omnes, vel me tacente, intelligent. In ejusmodi autem locis deformatis constituendis et explicandis HAMAKERI V. Cl. auxilium numquam nobis defuit: quo si caruissemus, profecto nulla probabilis versio exorta fuisset. Hoc autem vel ex notis criticis apparere potest, quas ea de causa versioni nostrae subjunximus, ut emendationum rationem alii quoque intelligerent, et quarum major pars et gravior ab HAMAKERO V. Cl. profecta esse reperietur. Quamvis autem tale adjumentum expertis, textum corrigere, et probabilem efficere interpretationem nobis haud admodum difficile fuerit, vel sic tamen textum ab omni parte purum et versionem omnibus numeris absolutam exhibere non potuimus. Hinc in nostro opere nonnulla loca conclamata inveniuntur, quorum rectam scriptionem vel ignoramus vel in dubium vocamus, et quae temere mutare ausi non sumus. Haec omnia, quorum pleraque certe in excerptis Kazwinii reperiuntur, ut a ceteris locis corruptis sed a nobis emendatis distinguantur, asterisco notavimus, in eorumque versione sensum potius quam verba spectavimus. Eadem res causa est, cur nonnumquam mediis verbis Latinis interrogandi signum interjectum sit; quod nimirum iis in locis factum est, quae utrum a nobis recte conversa sint, haud affirmamus. Ceterum cum versionem quam paraphrasin dare mallemus, ipsa auctorum nostrorum verba, quantum fieri potuit, secuti sumus et expressimus. Quamobrem quoque non nisi in paucis nostrae versionis locis nonnulla ipsis scriptorum verbis adjecimus, quae tamen ut uncinis inclusa et literis Italicis excusa prodirent, curavimus. Quod denique notas nostras attinet hoc monendum restat, inter eas nullas rebus illustrandis inservientes inveniri, quas idcirco omisimus, tum ne opus nostrum nimis incresceret, tum quoniam HAMAKERUS V. Cl. huic nostro operi Appendicem, a se conscriptam, adjungere constituit, idque partim eo consilio, ut quaecumque in hoc Tomo occurrerent ampliorem explicationem desiderantia, annotatione sua illustraret, partim ut ex Persicis et Turcicis fontibus Iracae Persicae descriptioni corollarium adderet. Hoc autem Viri Cl. de meo opere bene merendi studium haud minoris aestimo, quam ejusdem insignis benivolentiae documentum, quo dum singulae plagulae typis manda-

ren-

rentur, specimina typographica perlustrare, corrigere atque eo ipso opus ornare voluerit.

Ad exitum jam vergit haec nostra praefatio, cui tamen ante finem imponere non possum, quam publice sim professus, quanto, hoc tempore, gaudio perfundar, cum laetissima mihi spes affulgeat, fore ut studii mei, in lingua Arabica cum Mathesi et Astronomia conjungenda positi, fructus brevi sim percepturus. Nam paucis ante diebus accidit, ut, monentibus et suadentibus hujus Academiae Curatoribus Viris Nobilissimis, Regis nostri Augustissimi eximia benevolentia Lectoris Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum munus in hac Academia in me conferre decreverit; eo imprimis consilio, ut qui in ditissima Bibliotheca Lugduno-Batava inveniantur Codices MSS. Mathesin, Physicam et Astronomiam spectantes, eos sedulo explorem et quae in iis bonae frugis esse videantur, in harum disciplinarum commodum convertam. Pro tam insigni autem liberalitatis et favoris documento, quomodo gratum animi mei sensum melius testari possem quam indefesso studio et labore, ut gravissimo, quod jam mihi incumbit, munere rite defungar! Quidquid igitur fructuum in Arabum lingua addiscenda aliisque disciplinis excolendis percepero, id omne, pro virili, ad Arabum opera Mathematica et Astronomica legenda et explicanda transferendum est; quo labore si quando in posterum nonnulla prodeant, quae ad disciplinarum istarum historiam melius percipiendam haud inutilia esse censeantur, et Viris Doctis haud displiceant, erit quod mihi maximopere gratuler.

Dabam Lugduni-Batavorum ipsis Kalend. Juniis CIƆIƆCCCXXII.

P. J. UYLENBROEK.

✿

DE

IBN HAUKALI OPERE GEOGRAPHICO.

DE IBN HAUKALI OPERE GEOGRAPHICO MS. LEYDENSI CUM ALIIS SIMILIS ARGUMENTI CODICIBUS COMPARATO.

Iracae Persicae descriptioni, ex Ibn Haukalo tamquam fonte primario petitae, ut disputationem de universo hujus auctoris scripto praemittamus, duae potissimum causae, eaeque gravissimae, maximopere suadent. Altera causa est, quod huc usque de vero et genuino Ibn Haukali opere Geographico parum vel nihil fere cognitum est; altera, quod sub Ibn Haukali nomine liber circumfertur, qui nec Ibn Haukalum auctorem habere, nec ab ejus opere originem suam ullo modo ducere potuit. Nostrum igitur in hac disputatione praecipuum consilium est, cum indicandi quod et quale sit verum Ibn Haukali opus Geographicum, quo tempore illud composuerit ejus auctor, et quomodo in eo conscribendo versatus sit; tum vero etiam rationes exponendi, propter quas alterum istum librum, quem memoravimus, perperam cum Ibn Haukali Geographia confundi existimemus, atque insuper inquirendi quem auctorem habeat, et quomodo cum Ibn Haukali Geographia sit conjunctus. Hanc igitur disputationem ut rite aggrediamur, ab ipso libri titulo paulo longiore, at imprimis memorabili, describendo initium faciendum est.

MS. 1704 (314) هذا كتاب المسالك والممالك والمفاوز والمهالك وذكر الاقاليم والبلدان علي مر الدهور والازمان وطبابع (1) اهلها وخواص البلد في نفسه وذكر جباياتها وخراجاتها ومستغلاتها وذكر

---

(1) Nisi legendum sit طبايع, erit طبابع vox collectiva ejusdem fere potestatis a singulari طبع; quae nominum formae quidem rariores sunt, sed tamen exstant. Sic in Lexico Goliano habemus تبع Plur. تبابعة; et in Praef. codicis quem possidet Willmetius V. Cl., et cui titulus كتاب التاريخ تاليف الشيخ الامام جمال الدين ابي الفرج عبد الرحمن الجوزي, *Liber Chronici compositus a doctore Imamo Djemal-eddino Abou'l Faradjo Abd-orrahmano Ibn al Djouzi*, legitur جمامع similiter a جمع derivandum.

وذكر الانهار الكبار واتصالها بشطوط البحار وما علي سواحل البحار من المدن والامصار ومسافة ما بين البلدان للسفارة والتجار مع ما ينصاف الي ذلك من الحكايات والاخبار والنوادر والاثار تاليف ابي القسم بن حوقل رحمه الله مختصر في صور بلاد الاسلام واخبارها بالتمام والكمال جمع الامام العالم ابي القاسم محمد الحوقلي البغدادي رحمه الله تعالي يعول فيما جمعه علي كتاب الامام العالم ابي القاسم محمد بن خرداذبه وقدامة بن جعفر الكاتب, *Hic est liber viarum et regnorum, locorumque solitariorum et periculosorum, in quo enarrantur climata et regiones per decursum aetatum temporumque; indoles populorum et proprietates cujusque regionis, ejusque reditus et tributa proventusque; fluvii magni, eorumque decursus in litora marium; urbes, quae itidem in oris marium inveniuntur; limites et distantiae inter regiones itineratoribus et mercatoribus; et quaecumque porro narrationes, historiae, item res singulares et memoria dignae ad ejusmodi argumentum pertinent:* (liber est) *compositus ab Abou'l Kasemo Ibn Haukalo c. d. b. v. intra absolutissimam perfectissimamque regionum Islamiticarum rerumque eo spectantium descriptionem subsistens, collectus* (inquam) *ab Imamo sapiente Abou'l Kasemo Mohammede Al Haukalio Bagdadensi, c. d. b. v., in iis, quae collegit, fidem habente libro Imami sapientis Abou'l Kasemi Mohammedis Ibn Khordadzbeh et Kodamae Ibn Djafar Al Katib.* — Hanc igitur inscriptionem (2) prae se fert opus Geographicum Ibn Haukali, cujus duo tantum in Bibliothecis Europaeis inveniuntur exempla lingua Arabica conscripta, alterum in Bibliotheca Lugduno-Batava, alterum in Bodleyana (3). Exstat vero etiam hujus operis versio Persica. Illius exempla in duobus Codd. MSS. reperiri vulgo existimant; quorum alterum possidet Bibliotheca collegii Etonici, alterum W. Ouseleyus V. D. Ex his codicibus Persicis Ouseleyus Anglicam versionem confecit, eamque A. 1800 Londini edidit sub titulo: *The Oriental Geography of Ebn Haukal, a traveller of the tenth century.* Hujus versionis Anglicae, adeoque, ut putabat, operis Geographici Ibn Haukali egregiam notitiam dedit V. Celeb. S. de Sacy, in *Magasin Encyclopédique*, VII *année*, Tom. VI. p. 32—76, p. 151—186 et p. 307—333.

De

(2) Herbelotius v. *Haucal*, operi Geographico Ibn Haukali hunc fuisse titulum refert: *Giagrafiah fi mârefat alboldan.* Ibn Ayas in suo libro نشق الازهار في عجايب الاقطار, *Odor florum de mirabilibus tractuum*, (MS. 1714 (818)) Ibn Haukalum vocat الجولقي *Al Djaulaki*, eumque auctorem esse dicit operis كتاب اختراق الافاق i. e. *liber divisionis tractuum terrae.*

(3) Numerus codicis est 963, secundum de Rossium *Dizion. Storic.* v. *Haukal (ebn)*. Ipsum catalogum MSS. Bibl. Bodl. oculis non usurpavimus. Si de Rossius vera dixerit, mirum videri possit, Ouseleyum versionem Ibn Haukali, ut ipsi videbatur, Persicam, quam ipsum opus Arabicum Anglice transferre maluisse.

De ipso nomine et vita Ibn Haukali huiusque parum vel nihil fere cognitum est. Verum ejus nomen adhuc latet, nec accuratius ejus cognomen alibi invenitur, quam titulus no-

---

(4) Hadji Khalifa (in codice d'Ohssoni V. Illustr., cujus inspiciendi facultas mihi fuit,) in paragrapho inscripta مسالك وممالك Ibn Haukalum vocat Abou Obeidum Ibn Ali, illumque mortuum dicit A. 832 (Chr. 1428—9). De aetate Ibn Haukali mox videbimus: ejus autem nomini ab Hadji Khalifa memorato auctoritatem tituli codicis nostri opponimus. — Ceterum magnum est discrimen inter ea, quae Hadji Khalifa de Ibn Haukalo, aliisque Geographicorum librorum auctoribus refert in codice d'Ohssoni, et ea, quae ex alio Hadji Khalifae codice de iisdem auctoribus excerpsit Sacyus l. l. p. 39—41. Quae in Hadji Khalifae codice, quo usi sumus, dicta paragrapho inveniuntur, summatim haec sunt: مسالك البلدان ـ تاليف ابي الحجاج يوسف بن محمد الكرماني المتوفي سنة تسع وثلثين وثمانماية * مسالك الممالك ـ باللغة الفارسية تاليف ابي الحسن صاعد بن علي الجرجاني المتوفي سنة احدي وثمانين وثمانماية * المسالك للممالك تاليف ابي العباس احمد بن محمد الشهير بابن الطبيب السرخسي المتوفي سنة ست وثمانين وستماية ـ ترجمه علي بن عيسي باللغة الفارسية هكذا ذكره ابن خلكان في ترجمة الكرخي * المسالك في ذكر الممالك ـ تاليف ابي عبيدة بن علي الشهير بابن الحوقلي المتوفي سنة اثنين وثلثين وثمانماية ذكر فيه صفات البلاد ومستوفية غير انه لم يذكر القري * المسالك في معرفة الممالك كتاب كبير في اربعة اسفار ضخام تاليف زين الدين ابي عبد الله محمد بن علي الجهيني (annus obitus deëst, ut in aliis sqq.) وكان وزير امير خراسان وكان من دابه ان يجمع المتغربين ويسالهم عن البلاد وما فيها ويكتب منهم ما صح عنده بعد مراجعة كتب هذا الفن وكان فيلسوفا حاذقا استنبط كيفية المداخل والمسالك الي كل مدينة ليتوصل بذلك الي فتحها فصور كورة وصور فيها الاقاليم السبعة وما فيها من البلاد ثم جعل لكل اقليم مدخلا يتوصل منه الي ما فيه من البلاد ثم الدرج (l. ادرج) ذلك في كتابه ولذلك طال ثم ذكر ما في كل بلدة من التحف وذكر عجايب الهند وغرايب السند ووصف كل مدينة بما فيها شرقا وغربا وشمالا وجنوبا وكان يقول لا بد من الاستواء (in nota interlin. لعله الاستيلاء) علي هذا البلاد فادركه هادم اللذات قبل نيل المراد قال صاحب احسن التقاسيم قال ابن الفقيه الهمداني انه لم يذكر في كتابه الا المدن العظمي ولم يذكر الا قليلا من قرايها ولم يرتب ما ذكره في كورته بل ذكره مشوشا ثم انه اظهر الزهد في الدنيا وذكر الرغبة عنها وتارة ابكي وتارة اضحك ثم بعد ذلك طمع ان يستولي علي اكثر بلادها فهذا من اعجب العجايب واما ما صنعه (l. صنفه) الحافظ وابن خردبة في كتابهما من الاختصار

فانه

nostri codicis illud exhibet. Frustra etiam notitiam de ejus vita alibi quaesivimus (4), nec aliunde, quam ex ipso nostro codice ea depromsimus, quae in hujus disputatio-
nis

فانه مخل فلذلك لا يحصل منهما كثير فايدة انتهي * المسالك الي الممالك تاليفه
عبد الله بن محمد الشهير بابن خردبة المذكور اعلاه ذكر فيه ان الطريق الي بلدة كذا من
موضع كذا وذكر مقدار المسافة بينهما خصوصا ذكر فيه بلاد العراق وما فيها من الاحوال
والاموال * المسالك الي ما في الممالك ـ للمراكشي ذكره ابن الوردي وترجمه باللغة التركية
السيد الشريف برهان الدين ابراهيم افندي ابن السيد محمد المدرس بمدرسة السلطان
محمد خان الفاتح * المسالك في بيان طرف الممالك ـ مشهور بالعزيزي تاليف الشيخ
حسن بن احمد المهلبي الفه للمعتصم بالله (للعزيز بالله .ا) الفاطمي سلطان مصر ونسبه اليه

Viae regionum — liber compositus ab Abou'l Hadjadjo Yousefo ibn Mohammed Kermanita, *mortuo* A. 839 (Chr. 1435—6). — *Viae regnorum — liber lingua Persica conscriptus ab Abou'l Hasano Saedo ibn Ali al Djordjanio mortuo* A. 881 (Chr. 1476—7). — *Viae ad regna — auctore Abou'l Abbaso Ahmede ibn Mohammed*, *vulgo ibn Thabibo Al Serakhsio*, *mortuo* A. 686 (Chr. 1287—8). — *Hunc librum in linguam Persicam convertit Ali ibn Isa*, *ut memorat Ibn Khalican in vita Carkhii.* — *Isagoge ad expositionem regnorum*, *conscripta ab Abou Obeido ibn Ali*, *vulgo Ibn Al Haukalio mortuo* A. 832 (Chr. 1428—9). *In ea descripsit absolutissime formas regionum*, *sed non commemoravit vicos.* — *Isagoge ad cognitionem regnorum. Est liber magnus*, *constans quatuor voluminibus spissis*, *conscriptus a Zein-eddino Abou Abd-alla Mohammede ibn Ali Al Djahini*, *Veziro Principis Khorasanae. Solebat hic congregare peregrinos*, *eosque interrogare de regionibus earumque proprietatibus; et quae ipsi vera videbantur*, *literis consignabat*, *postquam libros de ea materia conscriptos pervolvisset. Erat philosophus acutus*, *et ediscere studebat quo modo et qua via ad singulas urbes accedere posset*, *quo nempe eas expugnaret. Delineavit terrae tractum* (كورة) *in quo depinxit septem climata cum suis regionibus*, *et cuique climati introitum praebuit*, *per quem ad regiones intus comprehensas perveniret. Dein has secundum gradus longitudinis et latitudinis determinavit* (أدرج) *unde liber longior evasit. Commemoravit etiam singularum regionum dotes et mirabilia Indiae et peregrina Sindiae. Disposuit omnes urbes secundum earum situm versus orientem*, *occidentem*, *septentrionem*, *et austrum*, *et dicere solebat: fieri non potest quin haec regio* (a me) *expugnetur. Sed assecutus est eum destructor cupiditatum* (mors), *antequam perfecisset quod volebat. Dicit auctor* (libri) *Ahsan Altakasim Ibn Al Fakihum Hamadanensem referre*, *eum in suo libro non commemorasse nisi urbes majores*, *nec nisi pauca de vicis*, *neque etiam quae in tabula depinxerat*, *in ordinem digessisse*, *sed confuse tradidisse: dein eum aliquando prae se tulisse vitae religiosae desiderium et a rebus mundanis abstinentiam professum esse; atque interdum eum plorasse*, *interdum risisse; postea vero iterum plurimas regiones expugnare cupivisse. Quod sane maximopere mirandum est. Compendia*, *quae* (de ea) *in suis libris fecerunt Al Hafedh et Ibn Khordabah*,
ideo

nis decursu de Ibn Haukalo referemus. De aetate, qua vixerit Ibn Haukal, primus aliquid statuit Ouseleyus in praefatione versionis suae Anglicae; illius rei inquisitionem cum

---

ideo quod negligenter facta sunt, non multum habent utilitatis. — *Viae ad regna — auctore Abd-Alla ibn Mohammed, vulgo Ibn Khordabah supra memorato. Refert in eo quales sint viae et distantiae inter varia loca. Peculiarem mentionem facit regionis Iracae, ejusque conditionis opumque. — Viae ad ea quae sunt in regnis — liber compositus a Marakaschio, quem memorat Ibn al Wardi. Vertit eum* (librum) *in linguam Turcicam Al Said Al Scherif Borhan-eddin Ibrahim Efendi ibn Al Said Mohammed, Doctor in collegio Sultani Mohammedis Khan Al Fatih seu Victoris. — Isagoge ad distinguendos tractus regionum, vulgo dicta Al Azizi, conscripta a Doctore Hasano ibn Ahmed Mohallabita, in gratiam Al Azizi Billah Fathemidae Sultani Aegypti, et ab eo cognominata.* Haec Hadji Khalifa. Sacyus vero l. l. post Abou'l Hasanum Saidum ibn Ali Djordjanium, memorat praeterea Abou'l Kasemum Abd-allam ibn Mordad Khorasanium, et Abou Zeidum Ahmedem ibn Sahel Balkhium. Sequitur Abou'l Abbas Ahmed ibn Mohammed Sérakhsi, cognominatus Thabib. Dein Sacyus, „*autre*," inquit, „*par Ali ben Isa, écrite aussi en Persan et abrégée: „autres par Ali ben Hosain Masoudi et par Ebn Haukal. Ebn Khilcan fait mention de ce dernier dans la vie de Carkhi Schafei. — Autre par Aboul Obeid Becri: Nawawi et Ebn Haukal en font mention: c'est un ouvrage, dans lequel on trouve une description très détaillée des pays; mais la prononciation et l'orthographe des noms propres de lieux n'y sont point déterminés.*" Mira in his omnibus confusio. Primum animadvertendum est Ibn Khalicanum (cujus tres codices MSS. tractavi, unum Palmii V. Cl., duos Leydenses, quos descriptos vide in Doct. Tydemanni *Specimine* p. 30. sqq.) in vita Carkhii nullam facere nec Alii ibn Isa nec Ibn Haukali mentionem. Scilicet trium illorum doctorum, quos Carkhii nomine insignitos enumerat Sacyus l. l., et quos frustra apud Ibn Khalicanum quaesivisse videtur V. C., medium, Mobarekum ibn Mobarek Abou Thalebum Carkhium nos apud eundem invenisse credimus, sub nomine Al Mobareki ibn Abou Thaleb Al Mobarek ibn Azher Said Al Wadjih, vulgo dicti Ibn Al Dihan Wasathita (vid. *Index* Tydem. n. 565). Etenim quamvis non vocetur Al Carkhi, ipse tamen Schafeita fuisse et Bagdadi, cujus pars est Carkh, habitasse narratur. Sed ibi nihil de Ibn Haukalo legitur. Dein hoc addendum inquam, erroneum esse quod in nostro Hadji Khalifae codice inveniatur, Ibn Haukalum *pagos* (قري) non commemorare. Denique haud levem esse Hadji Khalifae Sacyani errorem, qui Virum Celeb. effugisse videtur, in iis, quae de Abou'l Obeido Becrita refert. Etenim, si Ibn Haukalo eam adscribamus aetatem, quae ipsi verisimillime, ut mox videbimus, competit, medium nempe seculum quartum, nullo modo librum Abou'l Obeidi Becritae citare potuit, quippe qui A. 487 (Chr. 1094—5) mortuus sit, teste inscriptione in titulo hujus ipsius operis إلمعجم الكبير Cod. Lugd. Bat. 1709 (421) ubi haec verba leguntur:
عبد الله بن عبد العزيز بن ابي مصعب الاندلسي ابو عبيد البكري قال الصفدي كان اماما
لغويا اخبريا متفننا اميرا — وكان لا يصحو من الخمر ابدا صنف شرح نوادر القالي شرح
امثال

cum libri a se editi argumento et ratione quodammodo conjunctam esse existimans. Etenim cum versiones Persicae eum gerant titulum, quem ipsum opus Arabicum, quamvis multo breviorem illum, aliisque etiam operibus Geographicis tribui solitum كتاب مسالك وممالك, *liber viarum et regnorum* (vid. Ouseley Praef. p. 3), atque plurima loca, quae ex Ibn Haukalo citat Abulfeda, satis accurate cum versione Persica conveniant, non dubitavit Ouseleyus, quin opus Geographicum, quod tractabat, esset versio Geographiae Ibn Haukali. Haud ita multo post Sacyus, qui, locis libri Anglici accuratius inspectis et cum Abulfeda comparatis, opus Persicum non tantum versionem, sed epitomen etiam, libri Haukalidae Arabici esse credidit, operis compositi tempus ex ipsa hac versione definire conatus est. (Vid. Sacyus l. l. p. 49. et passim). Ex internis igitur indiciis aetatem Ibn Haukali, ejusque Geographiae, in limites quosdam arctos et fixos redegerunt Ouseleyus et Sacyus; ille quidem, ideo quod Geographia Orientalis in descriptione Aegypti nullam Kahirae A. 358 (Chr. 968—9) conditae mentionem fa-

---

امثال ابي عبيد اشتقاق الاسماء معجم ما استعجم من البلاد والمواضع ومات في شوال سنة سبع وثمانين واربعماية من صفات النحاة للسيوطي, *Abd-Alla ibn Abd-al Aziz Ibn Abi'l Mosab Hispanus Abou Obeid al Becri. Dicit Al Safadius: Fuit Imamus, linguae peritus, historicus, variis doctrinarum generibus imbutus, Emirus, — numquam vero a vino abstinuit. Composuit Commentationem in dicta mirabilia vel singularia Al Kalii; Scholia in proverbia Abou'l Obeidi; Etymologicum nominum; et Lexicon regionum et locorum peregrinorum. Obiit mense Schawal* A. 487 (Chr. 1094—5). *Ex descriptione Grammaticorum Soyouthii.* (vid. etiam testimonium Abou Becri Al Kodhaâi apud Casirium *Bibl. Arab. Hisp.* T. II. p. 42.) — Alter h. l. error est, quod opus Abou'l Obeidi Becritae dicitur exhibere amplam locorum descriptionem, nominum vero propriorum orthographiam in eo non definiri. Est enim المعجم الكبير magis a versibus et carminibus, quae plurima continet, quam ab ampla locorum descriptione commendandum; et e contra ubivis proponit, quod vocant, ضبط الاسماء. Quis vero non videt hoc de Abou Obeidi opere enunciatum, nihil esse nisi tritum illud et vulgatum Abulfedae de Ibn Haukalo testimonium, in initio praefationis ad opus suum Geographicum: كتاب ابن حوقل وهو كتاب مطول ذكر فيه صفات البلاد مستوفيا غير انه لم يضبط الاسماء, *Liber Ibn Haukali liber est magnus, in quo plenissime traduntur regionum descriptiones, sed non docetur quomodo nomina scribenda sint.* Ut igitur haec verba ad Ibn Haukalum referenda putamus, sic Nawawii testimonium ad Abou Obeidum pertinere novimus ex Hamakeri V. Cl. *Specimine Codd. MSS. Orient. Bibl. Lugd. Bat.* p. 169. — Ceterum adhuc observandum est, quae noster Hadji Khalifae codex de Azizio, auctore saepius ab Abulfeda citato, memoret, ea plane convenire cum iis, quae de eodem congessit Rommel *Descript. Abulf. Arab.* Prol. p. 6. si nempe, ut fecimus, pro للمعتصم بالله legamus للعزيز بالله.

faciat, Ibn Haukalum ante hoc tempus scripsisse statuit; dum ex alio loco (ubi auctor suo tempore Hispaniae regem esse dicit Abd-orrahmanum Mohammedem ibn Abd-allah ibn Mohammed Abd-orrahman, (cognominatum Naser ledinillah, vid. Sacyus l. l. p. 43,) qui inde ab A. 300 (Chr. 912—3) usque ad A. 350 (Chr. 961—2) Khalifatum Hispaniae tenuit), magna cum veri specie, effecit Ibn Haukalum durante priori seculi quarti dimidio floruisse. Sacyus vero ulterius pergens aetatem operis ponit inter A. 303 (Chr. 915—6) et 309 (Chr. 921—2), idque ea quidem de causa, quod auctor Mahadiam A. 303 conditam (Abulf. A. M. T. II. p. 328) commemoret, suo vero tempore urbem Fessam nondum a Fathemidis captam esse affirmet; quam tamen urbem A. 307 (Chr. 919—20), vel 309 (Chr. 921—2), ab exercitu Obeid-allae expugnatam esse aliunde constat. (Vid. imprimis Abulf. A. M. T. II. p. 336).

Aetatem Ibn Haukali ejusque operis Geographici etsi satis accurate illa, quae memoravimus, indicia definire viderentur, tantum tamen abfuit ut in iis acquiescerem, ut ea potius cum iisdem aliisque indiciis, in nostro codice quaerendis, comparanda esse ducerem. Ea enim, nisi omnia, at plurima certe conspirare debent, si utrumque librum, tum Persicum, tum Arabicum, ex uno eodemque fonte derivatum esse jure contendere velimus. Cui comparationi instituendae magnum addidit stimulum, jam olim, cum descriptionem Iracae Persicae in nostro codice cum illa versionis Anglicae conferrem, haud parva inter has observata discrepantia. Huic igitur negotio intentus majorem multo et graviorem, quam ante animadverteram, diversitatem agnovi, quae diu me haesitantem teneret, quid de nostro codice, quid de versione Anglica, vel codicibus Persicis esset statuendum. In hac consilii inopia Hamakerum V. Cl. adii, cujus judicio et auctoritate in re tanti momenti uterer. Locis gravioribus utriusque operis accurate inter se collatis, in opinionem incidit V. Cl. admodum probabilem, quae omnes difficultates nullo negotio tollit, et adeo simplex est, ut vel ab hac parte ejus veritatem agnoscere cogamur. Est autem haecce: codices Persicos, nostrumque Arabicum diversa continere opera; Arabicum esse verum et genuinum Ibn Haukali opus Geographicum; Persicum librum esse antiquiorem, adeoque nec Ibn Haukali versionem, nec epitomen, sed talem, quem Ibn Haukalus in suo scripto componendo maxime secutus sit, quique ab Ibn Khordadbehi Geographia haud diversus esse videatur. Haec thesis, quam vix aliquis sine nostri codicis subsidio posuisset, majoris est momenti quam quae vel nullis vel paucis tantum argumentis stabiliatur. Plurima igitur loca Geographiae Orientalis cum aliis ejusdem argumenti in nostro codice comparavimus, nullumque fere invenimus, quin istam opinionem maxime confirmaret. Haec argumenta, aliaque aliunde petita hic proferre decrevimus, ut appareat quibus fundamentis

nostra sententia nitatur, et quo de ea penes Viros Doctos, praesertim eos, a quorum sententia recessimus, judicium esse possit. Primum igitur ex nostro codice indicia exhibenda sunt, quorum auxilio de vero compositi libri tempore probabiliter statui possit; unde apparebit opus Arabicum quinquaginta, et quod excedit, annis Persico esse recentius. Quod argumentum quamvis per se sufficiat ad probandum opus Persicum non esse Geographiae Haukalidae versionem, alterum tamen ipsi adjungemus, ex comparatione quorundam locorum Geographiae Orientalis cum iis, quae, tam in nostro codice, quam in Abulfedaeis ex Ibn Haukalo citatis, illis respondent, petitum. Duplex enim inde nanciscemur commodum; alterum, quod manifestum erit, in longe plurimis locis Abulfedam cum nostro codice Arabico consentire, a Geographia vero Orientali recedere, quod fieri non posset, si haec vera esset Ibn Haukali versio; alterum commodum est, quod nexum quemdam observabimus inter opus Persicum et Arabicum; qui nexus nobis permagni erit momenti, quando eas expositari sumus rationes, propter quas opus Persicum Ibn Khordadbeho tamquam auctori tribuendum esse putamus. — Jam vero primum de temporum indiciis videamus.

Auctorem G. O. in descriptione Aegypti nullam Kahirae mentionem facere diximus, adeoque illum ante hanc urbem conditam scripsisse videri. Ibn Haukalus vero in descriptione Aegypti Kahiram memorat, et quidem ita ut eum aliquot annis post illam exstructam scripsisse necesse sit. Legimus enim cod. p. 50. v. 10 a fin. واخلف الله عوض القطايع بالقاهرة وهي مدينة اجدها ابو الحسن جوهر فتي امير المومنين ومصباح دولته صلوات الله عليه لجيوشه وحشمه وقد ضمت من المحال والاسواق والحمامات والفنادق والقصور المشيدة وعلي جميعها سور منيع رفيع وبها ديوان مصر ومسجد جامع حصين نظيف, *In locum Kathayae* (5) *succedere fecit Deus Kahiram: quam urbem Abou'l Hasan Djauharus, libertus Principis fidelium, et lucerna ejus regni, cui sit misericordia Dei, recens condidit exer-*

(5) Kathayam suo tempore dirutam fuisse in praecedentibus significaverat. — In G. O. p. 30. male legitur *Fetaia* pro *Kathaya*, quemadmodum jam animadverterat Sacyus l. l. p. 162. Alii etiam in G. O. errores, ibidem indicati, in opere Arabico non inveniuntur. Sic nulla mentio *urbis Hamzae*; sed quae templa majora in ea ab *Amrouo ben As*, et *Laaher ben Touloun* constructa fuisse dicit G. O., ea in ipsa urbe Fosthata ab *Amrouo ibn Al As*, et *Abou'l Abbaso Ahmede ibn Thouloun* condita fuisse noster memorat. — Similiter Fosthatam sitam esse في شرقي النيل, *ad orientem Nili*, totidem verbis indicat. — Quod mox Moëzzo ledin Illah, qui Djauharum cum exercitu ad Aegyptum occupandam miserat, titulum *Principis fidelium* tribuit, aperte ostendit auctorem Alidarum partibus fuisse addictum, vel saltem eum in ipsorum ditione scripsisse. Passim in nostro codice eandem observationem fecimus. Infra unum alterumve exemplum recurret.

exercitibus suis et famulitio. Continet vicos, fora, thermas, diversoria et alta palatia; omnia muro valido et excelso circumdata. Sedes est regiminis Aegypti, et habet templum majus, solidum mundumque.

In descriptione Hispaniae non inveni Abd-orrahmanum tamquam regem Hispaniae ab Ibn Haukalo citari, at vero in fine descriptionis Occidentis مغرب cod. p. 38. v. 13. a fin. dicit: وادركت عبد الرحمن ابا المطرف ابن (بن .l) محمد بن عبد الله بن محمد بن عبد الرحمن بن الحكم بن هشام بن عبد الرحمن بن معوية بن هشام بن عبد الملك بن مروان يحافظ عليهم (البربر) —— وذلك ان عبد الرحمن هذا واهله يملكون الاندلس *Vidi Abd-orrahmanum Abou'l Mothraf ibn Mohammed ibn Abd-allah ibn Mohammed ibn Abd-orrahman ibn Al Hakem ibn Haschem ibn Abd-orrahman ibn Moawiah ibn Haschem ibn Abd-al Malek ibn Merwan eos* (Berberos) *custodiis in obsequio continentem; —— hic autem Abd-orrahman ejusque familia imperant Hispaniae.* — Prior igitur hujus loci pars demonstrat Ibn Haukalum ante A. 350 in Hispania fuisse, posterior eum post eundem annum haec scripsisse; cum ipse Abd-orrahmanus ab A. 300 usque ad A. 350 Khalifatum Hispaniae tenuerit. Quod enim addidit, penes familiam ejus (اهله) quoque illius tractus imperium esse, id ad successores pertinere videtur (6).

Jam videamus de ceteris temporis notis, ex quibus Celeb. de Sacy effecit Geographiam Ibn Haukali inter A. 303 et 309 fuisse conscriptam. Idcirco loca ea ex G. O., quae huic sententiae favent, describam, et quae his respondent ex nostro codice subjungam, quo facilior sit comparatio.

G. O. p. 19. 20.

Mahadiah is a small town, which was built by Abdallah, when he conquered the West: he gave it this name after himself. It is situated on the sea coast. From Kirouan to this place is a journey of two days.

Ibn Haukal, p. 26. v. 4.

المهدية مدينة كبيرة احدثها المهدي بالله وسماها بهذا الاسم وهي في نحر البحر وتحول اليها من رقادة القيروان في سنة ثمان وثلث ماية وهي من القيروان علي مرحلتين فرضة لما والاها من

---

(6) Nescio an non vox أدركت indicet Ibn Haukalum extremis Abd-orrahmani temporibus in Hispaniam venisse. Nam si simpliciter significare voluisset se Abd-orrahmanum vidisse, quidni dixit رايت? Nunc autem ea voce usus est, quae ostenderet, ipsum satis in tempore in Hispaniam venisse ut Abd-orrahmanum adhuc viventem assequeretur. Hujus vocis ادركت potestas aperte cernitur infra in loco Ibn Haukali p. 12. vs. 4.

من البلاد وكثيرة التجارة حسنة السور منيعة وذلك ان لها سور من حجارة ولها بابان ليس لهما فيما
رايته من الارض شبه ولا نظير غير البابين الذين (اللذان .1) علي سور الرافقة وعلي مثالهما عملا
وعلي شكلهما اتخذا كثيرة القصور نظيفة المنازل والدور حسنة الحمامات والخانات خصيبة كثيرة
الفواكه والغلات طيبة الداخل حسنة الخارج بهية المنظر ادركتها وملوكها كماة وجيوشها حماة
وتجارها طراة فاختلّت احوالها والتاثت اعمالها وانتقل عنها رجالها بانتقال المنصور عليه السلام عنها
Mahadia urbs est magna, quam condidit Al Mahadi Billah, et hoc nomine nominavit. Sita est in isthmo (?) ad oram maris. Eoque migravit e Rekada Kairowanae A. 308 (Chr. 920—1) (7). *Distat a Kairowana duas diaetas. Est navium statio ceteris regionibus circumjacentibus. Magnam exercet mercaturam, habetque pulcrum murum, illumque validum, quippe qui constat lapidibus. Habet etiam duas portas, quarum similes nusquam terrarum vidi, praeter duas illas, quae sunt in muro Rafikae* (8), *tum structura tum forma simillimas. Multa in ea sunt palatia, munda diversoria et domus, pulcrae thermae et hospitia mercatorum. Abundat fructibus et proventu; estque intus et extrinsecus visu grata et elegans. Vidi eam ejusque reges fortes, et exercitus defensores, et mercatores e longinquo advenientes. Sed extenuatus est ejus status, et perturbata sunt ejus opera, ex quo, discedente Mansouro, cui sit salus* (9), *eam reliquerunt ejus incolae.*

G. O.

---

(7) Urbs Rekada condita est ab Ibrahimo ibn Ahmed Aglabita A. 262—264 (Chr. 875—878) qui ibi regiam gentis suae sedem constituit. Cf. Abulf. A. M. T. II. p. 252. Rekada autem vocatur Rekada Al Kairowanae, quia huic urbi admodum vicina erat, ut apparet ex luculento loco Leonis Africani laud. a Reiskio ad Abulf. l. l. n. 218. Intervallum erat اربعة اميال, teste Lexico Geogr. in v.

(8) De urbe Rafika haec annotavit Lex. Geogr. الرافقة الفا قبل القاف بلد متصل البنا بالرقة وهما علي صفة الفرات بينهما مقدار ثلثماية ذراع وعلي الرافقة سوران بينهما فصل ولهما (لها .1) ربض بينها وبين الرقة وبه اسواقها وقد كانت الرقة خربت وصارت الرافقة هي المدينة التي تسمي الرقة وخلت بعد ايام التتر الي الان, *Al Rafika, cum duobus Elif ante Kaf, urbs est aedificiis conjuncta cum Al Rakka. Utraque jacet in ripa Euphratis. Inter eas spatium est trecentorum cubitorum. Cingunt Rafikam duo muri intervallo quodam a se invicem separati. Inter Rakkam et Rafikam hujus est suburbium, in quo sunt ejus fora. Sed vastata est Al Rakka, et Al Rafika urbs evasit, quae Al Rakka vocatur, atque etiam ipsa post tempus Tatarorum ad hunc usque diem deserta jacet.*

(9) Igitur haec scripta sunt post mortem Mansouri, qui A. 341 (Chr. 952—3) obiit. Simul ex hoc loco conjectura fieri potest, auctorem mature in Africam venisse.

G. O. p. 21.

The capital of this country (Tanjiah) *is Fas, in which resides Iahia the Fatemite* (lege cum Sacyo, *the Edresite*); *for Abdallah* (lege cum eodem, *Obeid-allah*) *the Fatemite has not yet conquered that place.*

Ibn Haukal, p. 29. 30.

فاس وهي مدينة عليها سور يمنعها ولها غلات كثيرة وخصب وعليها بادية من البربر ومن
غلاتهم القمح والشعير والقطن ولهم مياه كثيرة وسقي تكثر عايدته عليهم

Fessa urbs est muro munita. Ipsi sunt multi proventus et annona. Cingit eam desertum Berberorum. Inter ejus proventus sunt triticum, hordeum et gossipium. Habent etiam multum aquae, et aquae ductum (?), *cujus ingens illis est utilitas.*

Comparatio horum locorum thesin nostram quam maxime firmat. Duo priora docent utrumque librum post Mahadiam conditam fuisse conscriptum; Persicum cum urbs adhuc nova esset et parva, Arabicum Ibn Haukali, cum ad ingentem magnitudinem jam excrevisset, sed a Principe deserta pristinum splendorem sensim amitteret. Reliqua loca maxime a se invicem differunt, ita ut ridiculum sit statuere alterum ex altero fuisse conversum. Quod Ibn Haukalus expugnationem urbis Fessae ab Obeid-alla Fathemida non commemorat, id ex eo verisimiliter explicandum, quod tum temporis ista urbs jam dudum capta fuisset.

Duo sunt tamen loca in G. O., ex quorum altero effici videtur, librum Persicum annis aliquot antiquiorem, ex altero illum aliquanto juniorem esse tempore, quod Sacyus ejus compositioni assignavit. Prior occurrit G. O. p. 22. ubi haec leguntur verba: *Shateif is a considerable town, and well-inhabited, between Tahouth and Kirouan. The inhabitants are a tribe of Berbers, and called Kenamah* (l. *Ketamah*). *Abdallah has subdued them; and Abu-Abdallah, who was a servant of Abdallah, resides among them, and governs them.* Quoniam autem Abou Abd-allah ejusque frater Abou'l Abbas jussu Obeid-allae A. 296 (Chr. 908—9) vel 298 (Chr. 910—11) interfecti sunt (Abulf. A. M. T. II. p. 318 sq.), sequitur Geographiam Orientalem, vivente Abou Abd-alla, i. e. ante A. 298 conscriptam esse. Alter locus invenitur G. O. p. 128, ubi hostiles memorantur impetus Soleimani ibn Hassan Karmathita in eos, qui sacrae peregrinationis gratia Meccam adibant, uti et in ipsam Caabam, eosque qui pias in ea fundebant preces. *In consequence of this*, (sunt ipsius auctoris verba,) *Hejaje ordered his kinsmen to be seized and brought to Shiraz; they were kept a while in confinement; but, being men of good character, were not made responsible for his offences.* Quae cum A. 317 (Chr. 929—30) gesta sint, sequitur auctorem haec non nisi post hunc annum narrare potuisse. Si igitur omnia vel in G. O. vel in ipsis codicibus Persicis recte sese habeant, cum Sacyo V. C. l. l. p. 46. 183. statuendum erit au-

auctorem libri Persici varias operis sui partes variis temporibus conscripsisse. Ibn Haukali vero librum quod attinet, nullo ejusmodi refugio ipsi opus est, quippe qui in omnibus sibi constet. Quod ultimum ex G. O. retulimus Soleimani facinus, noster etiam memorat cod. p. 104. v. 21 sqq., et uberius quidem atque accuratius quam G. O.: ad urbem vero Sathifam nulla fit mentio imperii Abou Abd-allae in Ketamenses, nec quidquam nisi ejus de illis reportata victoria memoratur p. 36. v. 10. وكتامة التي بهذه الناحية يتشيعون وبهم ظهر ابو عبد الله الداعي واخذ المغرب وقد تغيرت تاهرت عما كانت عليه وجميع هولا البربر في وقتنا هذا فقراء, *Ketamenses, qui in hac regione degunt, et sectam Schiitarum profitentur, vicit Abou Abd-allah al Dâi* (i. e. invitator), *qui et Occidentem occupavit. At Tahort jam a pristino statu plane mutata est, omnesque hi Berberi hoc nostro tempore pauperes sunt.*

Haec igitur loca sunt quibus ad suam de Ibn Haukali aetate sententiam probandam utuntur Ouseleyus et Sacyus, quorum nullus nostrae adversatur sententiae, nullus impedit quo minus, secundum praecipuum argumentum, Ibn Haukalum librum suum post annum 358 scripsisse statuamus; quin omnia potius opus Arabicum Persico multo recentius esse luculentissime declarant. Hanc vero diversam utriusque libri aetatem ea non tantum loca ostendunt, quae memoravimus, sed omnia omnino temporum indicia, quae a nobis opus Arabicum perlustrantibus fuere animadversa, et quorum omnium, cum junioris aetatis notae sint, ne verbum quidem in libro Persico invenitur. Sunt autem ista, quae diximus, tam clare et perspicue proposita, tam egregie inter se cohaerent, rebusque gestis, quae nonnumquam memorantur, et quarum aliunde notitiam habemus, tam accurate respondent, ut de ipsorum veritate nullo modo dubitare liceat. Hae igitur temporum notae, antequam ulterius pergamus, hoc loco describendae sunt; quod quidem eo lubentius faciemus, quo certiora in istis invenire nobis contigit indicia, quae ipsum fere annum libri ab Ibn Haukalo compositi ostendant et patefaciant.

In sui operis praefatione cod. p. 1. auctor se Bagdadum reliquisse dicit, et orbis terrarum peragrandi initium fecisse die septimo mensis Ramadhani anni 331 (Chr. 942 — 3) فبدات سفري هذا من مدينة السلام يوم الخميس لسبع خلون من شهر رمضان سنة احدي وثلاثين وثلاث ماية, *Et incepi hoc meum iter Bagdado, feria quinta, die septimo mensis Ramadhani anni trecentesimi tricesimi primi*, quem annum non fuisse a librario corruptum ostendunt proxime sequentia: وفيه خرج ابو محمد الحسن بن عبد الله بن حمدان منهزما عنها الي ديار ربيعة من ايدي الاتراك وقد عملوا علي القبض عليه, *Et eo* (mense) *Abou Mohammed al Hasan ibn Abd-allah ibn Hamadan ea* (Bagdado) *ad Diar Rabiam profectus est, e manibus Turcarum, qui ipsi capiendo operam dederant, elapsus.*

psus. Quae narratio eadem est atque illa, quae invenitur apud Abulfedam A. M. T. II. p. 422. — Cod. Pag. 31. v. 2. المعز لدين الله, *Al Moëzzum ledin illah* vocat امير المومنين, *Principem fidelium*, et eadem pagina v. 3 extr. uti et pag. 36. v. 5. Moëzzi decessorem Kayemum mortuum esse significat, quippe cui solemni formula, عليه السلام, *cui sit pax*, benedicit. Unde duo sequuntur; primum Ibn Haukalum post A. 334 (Chr. 945—6), quo mortuus est Kayemus, (Abulf. A. M. T. II. p. 440) scribere debuisse; dein, quod jam supra significavimus, illum Alidarum sectae addictum fuisse, vel saltem sub eorum imperio legibusque, dum haec scriberet, vixisse. — Pag. 40. v. 9. reditus Hispaniae memorat, eosque الي سنة اربعين وثلاثماية, *ad annum usque* 340 (Chr. 951—2) fuisse dicit circiter 20000000 aureorum. — Pag. 73. v. 8 extr. dicit se anno 358 (Chr. 968—9) in Mesopotamia fuisse, quo tempore hujus regionis imperium jam ad Abou Taglebum ibn Hasan ibn Abd-allah ibn Hamadan arbitrorum placito erat delatum: وحضرتها (الجزيرة) في سنة ثمان وخمسين وثلث ماية وقد رفع تقديرها عن توسط الي ابي تغلب (بن حسن adde) بن عبد الله بن حمدان, quibuscum etiam ex parte conveniunt quae Abulfeda ad dictum annum A. M. T. II. p. 502. retulit. — A. 360 (Chr. 970—1) iterum in Africa fuisse videtur Ibn Haukalus, nam in hujus regionis descriptione cod. p. 36. v. 11 extr. eorum, ut videtur, temporum memoriam repetens, quibus totus orbis Moslemicus uni adhuc Ommaiadarum Khalifae parebat, omne genus tributorum, eleëmosynarum, decimarum, ex universa Africa atque Hispania ea aetate Kairowanam delatum fuisse dicit; hinc quotannis inter septies et octies millies centena aureorum millia ex illa urbe Fosthatam deferri solita. Tum haec addit: وسمعت هذا الحكاية واللفظ بعينه وصيغته (l. وصفته) من زيادة الله ابي مضر بن عبد الله صاحب الخراج في سنة ستين وثلث ماية, *Audivi hanc narrationem, his ipsis verbis prolatam, a Ziadat-alla Abou Modhar ibn Abd-allah tributorum praefecto*, A. 360 (Chr. 970—1). — Jam vero ad illa documenta veniendum est, ex quibus ipsum annum, quo compositus sit liber, probabiliter colligas. Sic in descriptione Arabiae, cod. p. 10. v. 19, anno superiore Ibn Haukalus vota pro salute Khalifae Fathemidici ab Ibn Ziado Yemanae domino facta esse dicit, وقد خطب لمولانا عليه السلام في سنتنا الماضية, quae vota cum prima vice Meccae facta sint A. 365 (Chr. 975—6) teste Abulfeda A. M. T. II. p. 526, inde verisimiliter sequitur, Ibn Haukalum Geographiam suam A. 366 (Chr. 976—7) literis consignasse (10). Hanc autem probabilitatem augent, quin extra

(10) Ad certam rerum fidem hujus loci auxilio pervenire non possumus, siquidem Ibn Haukalus de votis in Yemana, Abulfeda vero de iisdem Meccae factis, refert. Admodum tamen verosimile est,

-tra omnem paene dubitationem collocant alia loca, veluti qui in fine fere operis p. 179. v. 2. occurrit, ubi Ibn Haukalus de tributis Khorasanae et Mawaralnahrae agens, dicit وذلك جباية خراسان وما ورا النهر لابي صلح منصور بن نوح في وقتنا هذا, *Haec tributa Khorasanae et Mawaralnahrae sunt Abou Salhi Mansouri ibn Nouh, hac ipsa nostra aetate.* Unde apparet tum temporis, quo haec scribebat Ibn Haukalus, Khorasanae et Mawaralnahrae adhuc praefuisse Mansourum ibn Nouh; qui cum, ut Abulfeda A. M. T. II. p. 530 refert, medio mense decimo anni 366 mortuus sit, ex hoc et praecedenti loco sequitur Ibn Haukalum Geographiae suae conscribendae A. 366 operam dedisse videri, illamque hoc ipso anno vertente ad finem perduxisse. — Eandem temporis notam confirmat alius etiam locus cod. p. 135. v. 5. ubi dicit suo tempore Diwanum et palatium principatus Regionis Montanae esse Rayae, hujusque provinciae regem vocat Abou Alium Al Hasanum ibn Bouya, qui, teste Abulfeda A. M. T. II. p. 526, primo anni 366 mense mortuus est (11). — Memoria denique dignissima sunt sequentia Ibn Haukali verba: cod. p. 50. v. 5 extr. وبنت السيدة جامعا رابعا بالقرافة بديع البنا منيع الفضا بهي المنظر وبالجزيرة والجيزة ايضا جامعان اخران دون جامع القرافة, *Condidit Domina templum quadratum in Kerafa, structura novum, spatio amplum, adspectu decorum. In Insula* (Raudha) *et Djiza duo alia templa sunt illo Kerafae inferiora:* ex quibus verbis apparet, quo tempore Ibn Haukalus librum suum composuerit, eodem templum istud in Kerafa recens conditum (بديع) fuisse. Quoniam autem tem-

---

est, eodem anno tum in Yemana tum Meccae vota illa facta esse. At vero discrimen inter Ibn Haukalum et Abulfedam observandum est, quorum ille vota facta esse dicit لمولانا عليه السلام, *domino nostro, cui sit pax;* quo, si formula عليه السلام non nisi de defuncto adhibeatur, Moëzzus indicatur; hic vero l. l. vota pro salute Azizi facta esse refert. Dubium autem Abulfedae testimonium videtur, quoniam, ipso teste, Azizus patris Moëzzi, A. 365 (Chr. 975—6) mense tertio mortui, obitum ad diem usque decimum mensis duodecimi celavit, atque tum demum sacramentum a suis accepit. Parum igitur probabile est eodem adhuc anno pro Azizo Meccae vota fieri potuisse.

(11) Ibn Haukalum intra unius mensis spatium, ut ex locis adscriptis sequeretur, opus suum absolvisse, nemo facile credat; neque etiam haec ad anni 366 initia referre, loci mox memorandi auctoritas patitur. Fieri autem potest, ut Ibn Haukalus, qui, ut videtur, suam Geographiam in Africa, Syria, vel Arabia conscripsit, tum temporis quo ultimum hunc locum literis mandaret, nondum Ibn Bouyae obitûs in Perside mortui certior factus fuerit. Eadem quoque valet argumentatio de Mansouro ibn Nouh Samanida, cujus medio mense decimo A. 366 in Khorasana defuncti fama satis longo tempore interjecto ad Ibn Haukalum pervenire debuit, ut nihil obstet quo minus opus primis mensibus A. 367 absolutum fuisse putemus.

templum illud a Domina (السيدة) Moëzzi uxore anno 366 versus finem vergente exstructum est (12), nullum dubium relinquitur, quin eodem tempore, vel paulo post, Ibn Haukalus Geographiam suam conscripserit.

Haec argumenta sufficiunt, ex quibus appareat, Geographiam Ibn Haukali ad finem anni 366 vel initium proxime sequentis 367 esse referendam (13). Itaque firmum invenimus et stabile quod supra posuimus, librum Persicum seculi quarti initio, ut videtur, conscriptum, Arabico nostro multo esse antiquiorem, adeoque illum hujus nec esse versionem nec epitomen. Hac igitur priori demonstrationis parte defunctis jam nobis pergendum est ad comparanda nonnulla loca, quae Abulfeda ex Ibn Haukalo descripsit vel citavit, cum maxime similibus in Geographia Orientali, et nostro Ibn Haukali codice; eo consilio, ut hinc sententia nostra de opere Persico ab Ibn Haukalo diverso novas acquirat vires, imprimis vero ut appareat quo nexu alterum cum altero sit conjunctum, cujus nexus causas et originem dein investigabimus et exponemus. In quo ut ordine procedamus, primum describemus ea loca, quae Ouseleyus, in sua ad Geographiam Orientalem praefatione, indicavit; tum vero illa, quae Sacyus l. l. retulit, et quae ab eo in quatuor classes fuere distributa; quarum prio-

---

(12) De templi illius conditi tempore testem habemus Makrizium (MS. n. 1784 (372) T. III. p. 161), ثم بني المسجد الجامع الجديد بنته السيدة المعزية في سنة ست وستين وثلثماية وهي ام العزيز بالله نزار ولد المعز لدين الله ام ولد من الغرب يقال لها تغريد وتدعي درزان وبنته علي يدي الحسن بن عبد العزيز الفارسي المحتسب في شهر رمضان من السنة المذكورة *Deinde aedificatum est templum majus, novum, quod exstruxit Domina Moëzzita A. 366. Fuit haec mater Al Azizi Billae Nazari filii Moëzzi lidin Illah, pellex ex Africa. Dicebatur Tafzida, ejusque cognomen erat Darzan. Aedificavit hoc templum ministerio Al Hasani ibn Abd-al Aziz Persae aedilis, mense Ramadhano dicti anni*, etc.

(13) Iis, quae de Geographiae ab Ibn Haukalo compositae aetate disputavimus, obstat testimonium Yakouti in Moschtareko (vid. Abulf. Tab. Syriae a Koehl. ed. in add. et corr. ad p. 99. n. 103), qui Ibn Haukalum, se A. 378 (Chr. 988—9) urbis Basrae rudera valde antiqua in Africa vidisse, testantem inducit. Sed hoc testimonium parvi faciendum est. Etenim urbs Basra a nostro tamquam urbs opulenta describitur, nec ulla ejus vastatae mentio occurrit. Neque etiam intelligo quomodo A. 378 ruinae urbis Basrae valde antiquae dici potuerint, siquidem ista urbs, quo tempore Ibn Haukalus in Africa fuit, adhuc florebat. Erroris igitur accusandus videtur Yakoutus, et lapsûs memoriae, qualis in auctoribus et annis citandis saepissime locum habere potest. Idque hoc quidem in loco minus mirum videri debet, quod de eadem urbe Basra alium quoque auctorem laudat Nesabium, cujus testimonium imprudens fortasse Haukalidae adscripsit.



priorem ea constituunt, in quibus perfectus observatur consensus inter G. O. et Abulfedam; alteram ea, in quibus plura continet Abulfeda, quam G. O.; tertiam illa, quae in G. O. inveniuntur Abulfedae contraria; quartam denique illa, quae Abulfeda ex Ibn Haukalo citavit, sed in G. O. non occurrunt. Singulis libri Anglici locis praemittemus ipsa loca Abulfedaea, et subjungemus ea, quae in nostro Ibn Haukali codice inveniuntur.

Abulfeda *Descript. Mawaraln.* v. *Bonkats.* Edit. Grav. p. 49, 50.

قال ابن حوقل وقصبة الشاش بنكث ولها قهندز ومدينة وقهندزها خارج عن المدينة الا ان حايط المدينة والقهندز شي واحد وللمدينة ربض وعلي الربض ايضا سور ثم خارج هذا السور ربض اخر وبساتين ومنازل ويحيط به سور اخر وللقهندز بابان احدهما الي الربض والاخر الي المدينة والمسجد الجامع علي حايط القهندز وطول البلد فرسخ وتجري في ذلك المياه وفي الربض بساتين كثيرة *

Ebn Haukal: Bencath emporium Al Shash, cui castellum munitum et civitas: castellum vero ejus est extra civitatem, sed idem est murus civitatis et castelli. Civitas pomoerium (l. suburbium) *habet muro incinctum, extra murum aliud est pomoerium* (l. suburbium), *horti quoque, et aedificia, et alius murus haec circumambiens. Castelli duae sunt portae, una pomoerium* (l. suburbium) *altera civitatem versus, et templum amplum super moenia castelli constructum. Longitudo civitatis, una parasanga: in eam aquae fluunt; in pomoerio autem multi sunt horti.*

G. O. p. 266, 267 (14).

Bounket, the capital, has a kohendiz without the city; but the walls of the town and of the kohendiz are the same. There is a citadel with a wall, and another fortification outside that, with gardens and palaces. The kohendiz has two gates, one of which is towards the town. The town has a wall and three gates. — The citadel has ten gates on the inside. — On the outer side the citadel has seven gates. — The governor's palace and the prison are in the kohendiz; and the chief mosque is on the walls of the kohendiz. In the inner town is a small bazar; but there are great bazars in the citadel. The length of this city is one farsang. The inner town and the citadel are watered by a running stream. There are extensive and fine gardens, etc.

Ibn

(14) Conf. ad h. l. V. C. de Sacy l. l. p. 59. ubi nonnullas in Anglicam versionem instituit correctiones.

Ibn Haukal, p. 193. v. ult.

فاما نيكث (بنكث .l) وهي القصبة فان لها مدينة (15) وقهندزها خارج من المدينة غير
ان حايط القهندز والمدينة شي واحد وللمدينة ربض وعلي الربض ايضا سور ثم خارج هذا السور
ربض اخر وبساتين ومنازل ويحيط به (16) وعليه ثلثة ابواب — وعلي ربض الاول (17) ابواب —
وعلي ربض الخارج ابواب — ودار الامارة والحبس في القهندز ومسجد (المسجد .l) الجامع علي
حايط القهندز وفي المدينة الداخلة بعض اسواقهم غير ان اكثر الاسواق في الربض وطول البلد
من السور الثالث الي ان تقطع عرضه كله مقدار فرسخ وتجري في المدينة الداخلة وفي الربض
جميعا المياه وفي الربض بساتين كثيرة *

Nikats (l. Bonkats) *est emporium. Ipsi est urbs* (et castellum); *ejus vero castellum est extra urbem; sed utrique unus idemque murus est. Urbi etiam suburbium est, itidem muro cinctum. Dein extra hunc murum aliud est suburbium, uti et horti et diversoria, similiter* (muro) *circumdata. Ipsi sunt tres portae; — suburbio priori* (decem), *— et exteriori* (septem) *portae sunt. — Palatium Principis, et carcer sunt in castello, cujus supra moenia est templum magnum. In urbe interiori sunt nonnulla ipsorum fora; sed pleraque fora sunt in suburbio. Longitudo hujus regionis inde a muro tertio, donec totam illius latitudinem peragraveris, est spatium parasangae. Fluit in urbe interiori, et in suburbio simul aqua; in suburbio multi sunt horti.*

Abulf. *Mawaraln.* v. *Nakhscheb.* Edit. Grav. p. 43, 44.

ونخشب هو اسمها فلما عربت قيل لها نسف قال ابن حوقل وهي مدينة في مستو من
الارض والجبال منها علي نحو مرحلتين مما يلي كش قال وبين نسف وبين جيحون مفازة
ولها نهر يجري في المدينة وهو مجتمع مياه كش وينقطع في بعض السنة والغالب علي
نخشب الخصب *

Nachshab vere nominatur, sed Arabibus Nasaf. Ebn Haukal: Haec civitas in planitie sita est: montes circiter bidui itinere distant Cash versus. Inter Nasaf et Jihun desertum interjacet. Fluvius, qui fit e confluxu aquarum Cash, per urbem illabitur, in aliquot canales divisus (18). *Universa regio Nachshab maxima ex parte fertilis est.* G. O.

---

(15) Excidit وقهندز. (16) Omissum est سور. (17) Omissum videtur h. l. nomen numerale عشرة, uti mox, ante alterum ابواب numerale سبعة; nam prioris suburbii decem, alterius septem portarum nomina enumerantur, quae brevitatis causa reticuimus.

(18) Verba وينقطع في بعض السنة sic reddenda sunt: *et per aliquam anni partem deficit.* Hic enim solemnis usus est verbi قطع in VII Sp.

G. O. p. 260.

The city of Naksheb has a ruined kohendiz. — Naksheb is situated on the high road to Fareb and to Balkh: it stands on a level ground: from the city to the hills is a journey of two days, in the direction of Kish: from Naksheb to the river Jihoon the intermediate space is all desert. In the middle of the city is a considerable river, which comes from the collection of streams at Kish, and waters the territories of Naksheb. — In Naksheb and all its territories there is not any river besides that above mentioned; and even that river, in a very hot summer, becomes dry, and they use well-water for their gardens. Naksheb is abundantly supplied with provisions.

Ibn Haukal, p. 191. v. 5 a fin.

ونسف مدينة لها قهندز خراب — وهي مدينة علي مدرج طريق بخارا وبلخ في مستواة
والجبال منها علي نحو مرحلتين فيما يلي كش والذي بينها وبين جيحون مفازة ولا جبل
فيها ولها نهر واحد يجري في وسط المدينة وهو مجمع مياه كثيرة فينصب منها هذا النهر —
وليس بنسف ورساتيقها ماء جار الا هذا النهر وينقطع في بعض السنة ولها ابار تسقي بساتينهم
ومباقلهم والغالب علي نسف الخصب والسعة *

Nesef urbs est, cujus arx est diruta; estque sita in tramite viae Bokharae et Balkhae in planitie. Montes ab ea versus Casch duabus diaetis distant. Inter eam et Djihounum est desertum; neque ullus in eo mons. Unum habet fluvium, qui per mediam urbem decurrit, et collectio est multarum aquarum; unde hic amnis se effundit. Urbi Nesef ejusque vicis nulla alia est aqua currens praeter hoc flumen, quod per aliquam anni partem deficit. Ipsi sunt putei, quibus suos hortos et viridaria incolae rigant. Nesef imprimis annonae copia et ubertate abundat.

Abulf. *Mawaraln.* v. *Casch.* Edit. Grav. p. 43, 44.

قال ابن حوقل وكش مدينة ورا النهر وقدرها ثلث فرسخ في مثله وهي خصبة فواكهها
تدرك قبل فواكه غيرها من بلاد ما ورا النهر وهي مدينة وبية غورية ولها نهران كبيران احدهما
يسمي نهر القصارين والاخر نهر اشور ويجري علي شمالها *

Ebn Haukal: Cash civitas ultra fluvium (Jihun) magnitudine circiter III parasangarum (l. parasangae trientem longa et lata). *Regio fertilis, cujus fructus prius quam alii quicunque in terris Mawaralnahrae maturescunt. Civitas pesti obnoxia, et in profunda valle sita, duobus magnis fluminibus alluitur, quorum alterum nominatur Al Kasarin, alterum Ashur ad urbis septentrionem decurrens.*

G. O. p. 259.

Kish is a city with a kohendiz and ramparts, and two suburbs, one of which (the interior) and the kohendiz are ruined; the mosque also, which was here, is in ruins; the bazar is on the ramparts, and the extent of this city is three farsang by three farsang. The climate here is warm; the buildings are of wood and clay. Here are four gates; one, the Der Ahenin, or Iron gate; another, the Derwazeh Abeid Allah; the third, the Deri Kesaban; the fourth, the Deri Sharestan. The inner town has two gates; one called the Deri Sharestan Deruni; and the other, the Deri Turkestan. Turkestan is the name of a certain village. Near this gate are two rivers: the Rudi Kesaban, which comes from the town of Siam. The two rivers pass by the gates of the city; and there are other streams in the vicinity. etc.

Ibn Haukal, p. 191. v. II.

وكش مدينة لها قهندز وحصن (19) وربض ومدينة اخري متصلة بالربض والمدينة الداخلة مع القهندز خراب والخارجة عامرة ودار الامارة خارج المدينة والربض بمكان يعرف بالمصلي والحبس والمسجد الجامع بالمدينة الداخلة الخراب واسواقها في ربضها وهي مدينة مقدارها نحو ثلث فرسخ في مثله وبناوها طين (من طين .l) وخشب وهي مدينة حصينة جدا جرومية تدرك فيها الفواكه اسرع مما تدرك في ساير ما ورا النهر وتاتي بواكرها الي بخارا وهي وبية وللمدينة الداخلة اربعة ابواب فمنها باب الحديد ويليه باب عبيد الله والثالث باب القصابين والرابع باب المدينة الخارجة وللمدينة الخارجة بابان احدهما باب المدينة الداخلة والثاني باب بركنان قرية تنسب اليها وللمدينة نهران كبيران احدهما يعرف بنهر القصارين ويخرج من جبل بشام ويجري في جنوبي المدينة والاخر نهر اسرود يخرج من رستاق لسنك رود يجري علي شمالي المدينة وهذان النهران يجريان علي باب المدينة وللرستاق انهار etc.

Urbi Casch est arx, suburbium, et urbs alia conjuncta cum suburbio. Urbs interior una cum arce est diruta; exterior vero est habitata. Palatium Principis est extra urbem. Suburbium est in loco dicto Mosalla. Carcer et templum majus sunt in urbe interiori vastatâ. Ejus fora sunt in suburbio. Urbis longitudo et latitudo trientem fere parasangae complectitur; ejusque aedificia ex luto et ligno confecta sunt. Est autem valde munita et calida. Fructus ejus celerius ad maturitatem perveniunt, quam in ulla alia parte Mawaralnahrae, eorumque primitiae Bokharam auferuntur. Est vero pesti obnoxia. Urbs in-

(19) وحصن delendum videtur, nam est versio vocis Persicae قهندز

interior quatuor habet portas, Portam ferream, quaeque huic proxima est, Obeid-allae, item Kazabain, et portam ad urbem exteriorem ducentem. Haec etiam duas portas habet, alteram, quae urbem interiorem spectat, alteram Barkanan ab illius nominis vico appellatam. Urbi duo sunt fluvii magni, alter dictus fluvius Kasarain, qui ortum habet in monte Bischam, et juxta urbem ab austro praeterlabitur; alter Asroud, ex vicis Sankaroudi oriens, ad septentrionem urbis procedit. Duo autem hi fluvii juxta portam urbis praeterfluunt. Vici etiam flumina habent; etc.

Abulf. *Mawaraln.* v. *Samarkand.* Edit. Grav. p. 45, 46 (20).

قال ابن حوقل ورايت علي باب من ابواب سمرقند يسمي باب كش صفيحة من حديد وعليها كتيبة يزعم اهلها انها بالحميرية والباب من بنا تبع ملك اليمن فان من صنعا الي سمرقند الف فرسخ وان ذلك مكتوب من ايام تبع قال ثم وقعت فتنة بسمرقند في ايام مقامي بها واحترق الباب وذهبت الكتابة ثم اعاد محمد بن لقمان بن نصير (l. نصر) بن احمد الساماني عمارة الباب ولم يعد الكتابة *

Ebn Haukal: vidi, supra Samarkandae portam, quae appellatur porta Cash, ferream laminam cum inscriptione: quam cives characterem esse ferunt regis Arabiae felicis (21), *et portam a Tobai rege Arabiae felicis aedificatam. A Sanaa ad Samarkandam* CIↃ *parasangae. Tempore Tobai facta est inscriptio: post, orto Samarkandae tumultu, dum illic maneo, porta combusta fuit et inscriptio deleta. Deinde Mohammed Ebn Lokman Ebn Nasir* (l. Naser)] *Ebn Ahmed Al Samaani portam aedificavit, sed inscriptionem non restituit.*

G. O. p. 254.

The author of this work says: I saw a gate at Samarcand, of which the front was covered with iron; and there was written on it, in the Hamiri language; that Senaa is distant from Samarcand a thousand farsang; and the people preserved the explanation of this writing, in hereditary tradition. After that I had been at Samarcand, a tumult or insurrection happened; and this gate was burnt, and the inscription mislaid or destroyed. Afterwards, Abu Mozaffer Mohammed ben Nasser ben Ahmed ben Ased caused the gate to be again constructed of iron, but the writing was lost.

Ibn

(20) Praecedit in praefatione G. O. huic loco commemoratio montis Botomi, quam nos cum Sacyo ad aliam classem, mox exponendam, retulimus.

(21) Potius: *quam cives lingua Homeiritica conscriptam esse ferunt.*

Ibn Haukal, p. 188. v. 2. a fin.

ويزعم بعض الناس ان تبعا بني مدينتها (سمرقند) وان ذا القرنين تمم بعض بنايها ورايت
علي بابها الكبير صحيفة (صفيحة .l) من حديد وعليها كتابة زعم اهلها انها بالحميرية وانهم
يتوارثون علم ذلك من انها بنا تبع وعليها مكتوب من صنعا الي سمرقند الف فرسخ (وهذا دليل
علي ان باني صنعاء احدثها وكان حكمه عليها) فوقعت الفتنة بسمرقند واحترق الباب الذي
كان مكتوبا عليه الصحيفة (الصفيحة .l) فاعاده ابو المظفر محمد بن لقمن بن نصر بن احمد
بن اسد جديدا من حديد وتغيرت تلك الكتابة *

Narrant quidam Tobbaäm aedificasse ejus urbem (Samarkandam), *atque Dsou'l karnain quaedam ex illius aedificiis absolvisse. Vidi in ejus porta magna laminam ferream, cui inscriptio erat incisa (quam dialecto Himyariticam fuisse incolae narrant, atque se hujus rei cognitionem hereditaria traditione accepisse dicunt, inde a tempore quo Tobbaä eam condidit); huic igitur laminae inscriptum erat: A Sanaä ad Samarkandam mille sunt parasangae; (atque hoc quidem, me judice, ostendit conditorem Sanaae eam exstruxisse, et in eam imperium suum exercuisse.) Ortâ vero aliquando seditione Samarkandae, porta cum inscriptione combusta est; quam quidem portam dein Abou'l Modhaffer Mohammed ibn Lôkman ibn Naser ibn Ahmed ibn Asad de novo exstruxit, sed inscriptio illa deleta fuit* (22).

Abul-

---

(22) Locus hic ex nostro codice descriptus valde est memorabilis. Nam ut de ejus convenientia cum Abulfedaeo et Persico taceamus, neque etiam parvas, quae adsunt, discrepantias, codicum, ut videtur, varietatibus adscribendas, memoremus, ejus ope Abulfedae errorem corrigere possumus, qui Ibn Haukalum aliquid vidisse dicit, quod certissime nec vidit nec videre potuit. Scilicet verum quidem est, Ibn Haukalum, ut ex ipsius verbis apparet, scripsisse: *vidi in porta Samarcandae laminam ferream cum inscriptione* cet., sed haud minus verum est, eum hoc loco non se ipsum, sed alium, haec verba dicentem inducere. Etenim tumultus iste, quo porta Samarcandae cum ista inscriptione deleta fuit, antiquior est, quam cui interesse, adeoque inscriptionem videre, potuerit Ibn Haukalus. Nam Abou'l Modhaffer Mohammed ibn Lokman ibn Naser ibn Ahmed ibn Asad, qui portam de novo exstruxisse dicitur, procul dubio ineunte seculo 4to. Hedjrae floruit, quippe qui avum habuit Naserum ibn Ahmed ibn Asad A. 279 (Chr. 892—3) Abulf. A. M. T. H. p. 272. mortuum, idque aetate provectum. Cf. ibid. p. 246. Fuit igitur verisimiliter aequalis consanguineo suo Nasero ibn Ahmed ibn Ismaël ibn Ahmed ibn Asad, quocum, nescio quo errore, confunditur ab Ill. Ouseley in App. IV. p. 303. Cum autem Naser ibn Ahmed ibn Ismaël regnum tenuerit inde ab A. 301 (Chr. 913—4) usque ad A. 331 (Chr. 942—3) (Vid. Abulf. A. M. T. H. p. 422), atque liber Persicus, durante hoc imperio, et quidem, ut supra indicavimus, seculi 4ti. initio compositus, tumultum

Abulf. *Mawaraln. in Margin.* Edit. Grav. p. 17, 18.

سغد سمرقند وهو احد منتزهات الدنيا الاربعة وهي سغد سمرقند وغوطة دمشق ونهر الابلة عند البصرة وشعب بوان بفارس قال ابن حوقل وسغد سمرقند بما ورا النهر وهو انزه الاربع المذكورات *

Sogd, e provinciis Samarkandae subjectis, recensetur inter loca totius mundi amoenissima: ea sunt Sogd Samarkandae, Gautah Damasci, Nahr Al Ablah (l. Al Obollah) *prope Al Basram, et Shaab Bowan in Persia. Ebn Haukal: Sogd, amoenissimus e quatuor locis memoratis est in Mawaralnahra.*

G. O. p. 237.

It is said that in all the world there is not any place more delightful (or salubrious) than those three: one the Sogd of Samarcand; another the Rud Aileh; and the third, the Ghutah of Damascus.

Ibn Haukal, p. 180 med. et extr.

ـــ منتزهات الارض سغد سمرقند ونهر الابلة وغوطة دمشق ـــ فاما سغد سمرقند فانها انزه الثلاثة الاماكن التي ذكرت *

—— *Amoenissima terrarum loca, Sogd Samarkandae, Nahr Al Obollae, et Goutha Damasci.* —— *Sogd Samarcandae vero amoenissimus est trium locorum, quae memoravi.*

Haec ergo loca Ouseleyus in Praefatione sua tamquam specimina citat, ex quibus efficias, Geographiam Orientalem merito Ibn Haukali nomine insigniri. Nec sane negari potest, universe magnam esse inter haec loca et Abulfedaea convenientiam; sed tamen e contrario manifestum est inter eadem loca, praesertim primum et quartum, ex nostro codice et Abulfeda descripta majorem adhuc esse consensum. Cum autem sin-

---

tum istum jam memoret; quo modo fieri potuit ut Ibn Haukalus, qui anno demum 331 (Chr. 942—3), idque tum temporis, ut dein apparebit, juvenis, itinera suscepit, Bagdadoque profectus primum, ut videtur, Aegyptum et Africam petiit, istam inscriptionem viderit? Quamvis igitur nullum citet auctorem Ibn Haukalus, certum tamen est, eum h. l. alius auctoris verba descripsisse. Quod etiam firmant verba وهذا دليل علي cet. quae in ipso Haukalidae loco uncinis a nobis inclusa, hujus ipsius interjectam sententiam referre nobis videntur. Postea, ubi de modo quo noster suam Geographiam composuerit sermo erit, uberiorem huic loco lucem affundere poterimus.

singulas partes, quibus tres auctores vel inter se conveniunt, vel a se invicem recedunt, hic indicare neque per hujus disputationis augustias concedatur, neque etiam necesse sit, quoniam unicuique loca adscripta perlegenti et inter se comparanti consensus vel discrepantia sponte se offert: duo tantum universe observare liceat, primum quidem Abulfedam Arabicum Ibn Haukali opus potius secutum esse et descripsisse videri, quam Persicum: deinde vero, arctissimum adesse inter duo haec opera vinculum, quoniam perpauca tantum sunt, in quibus alterum ab altero recedat.

Idem consensus, quem hucusque inter Abulfedam et Geographiam Orientalem observavimus, in aliis etiam locis, a Sacyo V. C. citatis, occurrit, in aliis vero desideratur: quae res Virum summum permovit, ut Geographiam Orientalem non ipsum Ibn Haukali opus, sed ejus tantum epitomen esse crederet. Ad horum igitur locorum cum nostro codice comparationem nunc transeundum est, initio facto ab iis quae perfectam; vel maximam certe, convenientiam inter Geographiam Orientalem et Abulfedam exhibent.

Abulf. *Descr. Africae.* v. *Barkah.* Büsching. T. IV. p. 216 (23).

قال ابن حوقل وبرقة بلدة متوسطة وهي في مستو من الارض وحواليها كورة عامرة وهي في
وسط البوادي*

Barkah est, ut ait filius Haukali, urbs in solo plano mediocris: circum se habet nomum bene cultum. Est in media scenitide.

G. O. p. 19.

Barkah is a town of middling size, neither great nor small, with an improved and well-inhabited neighbourhood, all about which, on every side, is the desert wherein the Barbarians reside.

Ibn Haukal, p. 24. v. 2.

فاما برقة فمدينة وسطة ليست بالكبيرة ولا بالصغيرة الزرية ولها كُوَر عامرة وغامرة (وغامرة
وهي في بقعة فسيحة يكون مسيرتها يوما كبيرا في مثل ذلك (varians lectio videtur
ويطوف بها من كل جانب بادية تسكنها الطوايف من البربر*

Barkah est urbs mediocris, nec magna nec parva, cui sunt agri culti [et inculti]. Sita est in campo amplo, cujus ab omni parte deserto, quod Barbarorum tribus incolunt, cincti longitudo et latitudo tantum spatii complectitur, quantum longissimo die conficere possis (24).

Abulf.

(23) Hunc et alios Abulfedae locos nondum typis excusos ex codice L. B. descripsimus, versionemque Reiskii V. C. adjecimus, inveniendam in Büschingii *Magaz. f. d. n. Hist. u. Geogr.* T. IV et V.

(24) Hoc et sequenti loco Abulfeda magis ad G. O. quam ad Ibn Haukalum accedit: quod unde ex-

Abulf. *Afric.* v. *Tahart.* B. T. IV. p. 216.

عن ابن حوقل وتاهرت مدينة كبيرة خصبة كثيرة الزرع *

Haukali filius Tahortam (l. Tahartam) *ait esse urbem magnam, opimam, frugibus fertilem.*

G. O. p. 21.

Tahouth (l. Tahart) *is the chief: it is a large town, well inhabited and supplied. The inhabitants practise agriculture . . . . . They have been conquered by a people called Basna.*

Ibn Haukal, p. 32. v. 7.

تاهرت --- وهي مدينتان كبيرتان احداهما قديمة والاخري محدثة والقديمة ذات سور وهي علي جبل ليس بالعالي وفيها كثير من الناس وفيها جامع والمحدثة مدينة ايضا فيها جامع كتاهرت القديمة وامام وخطيب والتجار والتجارة بالمحدثة اكثر ولهم مياه كثيرة تدخل علي اكثر دورهم واشجار وبساتين وحمامات وخانات *

Tahart constat duabus urbibus magnis, quarum altera est vetus, altera nova. Vetus murum habet, et sita est in monte non alto. In ea admodum multi homines habitant, ibique etiam templum est. Urbs nova quoque templum habet, quemadmodum Tahart vetus, et Imamum, et concionatorem. At mercatores et merces in urbe nova magis abundant. Aquae ibi magna copia est, quae in plerasque incolarum domus ducitur; multae etiam ibi arbores, multi horti, thermae et tabernae. cet. (25).

Abulf. *Mesopot. in Marg. extr.* B. T. IV. p. 238.

ومن بلاد الجزيرة حصن مسلمة نقل ابن حوقل انه كان لمسلمة بن عبد الملك وكان به طايفة من بني امية *

Ad Mesopotamiam quoque spectat castellum Moslemae, sic dictum, ut ait filius Haukali, ab antiquo domino, Moslemah filio Abdel Maleki, quod postea nonnulli tenuerunt Ommiadarum.

G. O. p. 60.

Aaneh is a small town, situated where the river Forat forms a bay or gulph. This pla-

---

explicandum sit, non videmus, nisi forte ex errore Abulfedae, qui pro Ibn Khordadbeho, auctore ipsi, ut aliunde constat, haud ignoto, nostrum Ibn Haukalum citavit.

(25) Sequuntur adhuc quaedam in codice huc spectantia, sed nulla occurrit mentio de Tahartanis a populo Basna victis.

place is called the Hysn Moselamah. They say that it belonged to Moselamah ben Abd-al Mulk. A branch of the Ommiades is settled there.

Ibn Haukal, p. 78. v. 4 extr.

وعانة مدينة صغيرة في وسط الفرات يطوف بها خلج (خليج .l) من الفرات وحصن مسلمة اتخذه مسلمة بن عبد الملك وبه طايفة من بني امية *

Anah urbs parva in medio Euphrate, quam canalis ex Euphrate ductus cingit. Et Hesn (i. e. arx) *Moslemah, quam sibi condidit Moslemah ibn Abd-Al Malec. Eam tenuere Ommiadarum nonnulli* (26).

Abulf. *Khouzist. in Marg.* B. T. IV. p. 266 (27) cf. p. 268.

باسيان قال ابن حوقل هي مدينة متوسطة يشق النهر في وسطها ومنها الى حصن مهدية مرحلتان ويسلك منهما في الماء ولذلك من الدورق الى باسيان وكل ذلك في نهر تستر *

Est inter illas urbes etiam Basijan, quam ait filius Haukali mediocrem esse urbem, quam mediam dirimat fluvius; unde sint duae diaetae ad Hesn Mahdiji, super aquis eundo, uti et ad Basijan ab ad Daurek, nimirum in fluvio Tostari.

G. O. p. 79.

From Dourek to Sasan (l. Basyan) *a pleasant town, through which a river flows: from Sasan* (l. Basyan) *to Hysn Mohdi, is a journey of two merhileh: from these two places one must go by water.*

Ibn Haukal, p. 89. v. 20.

ثم الى الباسيان مدينة وسطة في الكبر عامرة يشقها نهر بنصفين مرحلة ومن الباسيان الى حصن

---

(26) Locus Geographiae Orientalis corruptus esse videtur, nam Anah et Hesn Moslemah duo loca sunt, quae etiam in Lexico Geographico bene distinguuntur. Ibi enim legimus: عانة جزيرة بالفرات وهي بلد مشهور بين الرحبة وهيت لها رستاق وقري من جانبي الفرات وبها قلعة حصينة, *Anah insula in Euphrate, est regio celebris inter Alrahbah et Hit. Ipsi sunt pagi et vici in utraque ripa Euphratis. Habet castellum munitum.* — حصن مسلمة بالجزيرة بين راس عين والرقة بينه وبين البلخ (?) ميل واحد, *Hesn Moslemah in Mesopotamia inter Ras Ain et Al Rakkam. Inter eam et Balkham distantia est unius milliaris.*

(27) Hic est verus paginae, ubi de Basyana exponitur, numerus; male apud B. legitur 248, nam per quatuor integra folia, ut vocantur, inde a pag. 264, omnibus paginis numeri male sunt additi.

حصن مهدي مرحلتان وفيها متبر ويسلك منها في الماء وكذلك من الدورق الي الباسيان يسلك في الماء*

Dein ad Basyan urbem mediocrem magnitudine, cultam, quamque in duas paries dividit fluvius, est una diaeta. Et a Basyan ad Hesn Mahadi duae sunt diaetae. In ea est suggestus. Qui eâ proficiscuntur, iis per aquam iter faciendum est; quemadmodum etiam a Dourek ad Basyan.

Abulf. *Persid. in Marg. extr.* B. T. IV. p. 272.

قال ابن حوقل ومن عجايب فارس الجبل الذي في ناحية كورة سابور المصور فيه صورة كل ملك وكل مرزبان معروف للعجم وكل مذكور من سدنة نيران قال وفي كورة ارجان في قرية يقال لها طبريان بير يذكر اهلها انهم امتحنوا قعرها بالمثقلات فلم يلحقوا لها قعرا ويغور منها ماء بقدر ما يدير رحا يسقي ارض تلك القرية — قال ابن حوقل ومن عجايب فارس بير في كورة رستاق يعرف بالهنديجان بين جبلين يخرج من تلك البير دخان ولا يتهيا لاحد ان يقربها واذا طار عليها طاير سقط فيها واحترق قال وبناحية داذين نهر ماء عذب يعرف بنهر اخشين يشرب منه وتسقي به الارض واذا غسل فيه الثياب خرجت خضرا والعهدة في ذلك علي ابن حوقل*

Inter admirabilia Persiae, pergit idem filius Haukali, est mons ille, in Kurah (tractu) *Sabur situs, in quo regum cujusque imago lapidi conspicitur incisa, et cujusque Marzapani (seu satrapae) quem Persae meritis norunt illustrem, et aeditui cujusque ignis famâ praeclari.*

In oppido quodam Curae Arragan, ait idem, cui nomen est Thabarijan, est puteus, quem dicunt incolae se ponderibus demissis explorasse quidem, numquam tamen potuisse fundum attingere. Inde effluit quantitas aquae tanta, quae circumagat molam agrumque pagi illius riget.

Inter miracula Persiae recenset filius Haukali, in Curah (seu nomo) Restaki (seu praeturae majoris) Hendigan appellatae, puteum inter duos montes, ex quo prodit fumus tam pestifer ut nullâ quisquam ratione possit eo accedere. Avis quaecumque supervolet, eam delapsam in puteum comburi. In tractu Dadzin, ait idem, est fluvius aquae dulcis, Nahr (seu fluvius) Achschin vulgo dictus, e quo bibunt et rigant terram. Sed si vestes in eo lavent, protrahuntur illae virides. Fides sit penes auctorem Haukali filium.

G. O. p. 129, 130.

In the territory of Shapour, there is a mountain; and in that mountain are the statues of all the kings, and generals, and high priests, and illustrious men, who have existed in Pars. And in that place are some persons, who have representations of them, and the stories of them written.

In

In the Koureh of Arghan, at the village called Sahil al Areb, there is a well, from which proceeds water enough to turn a mill and water the fields. The people here say, that they have made various efforts, to ascertain the depth of this well, but have not ever been able to reach the bottom.

In the Koureh of Rostak ar' rostak, there is a place between two hills, from which smoke constantly issues; and it is said, that if a bird should fly near that place, it would drop down.

Near Varein (l. Dadein) *there is a river, called Nehr-Cheen, the water of which is pleasant to the taste, and is used for the purposes of agriculture; but when clothes are washed in it, it becomes green.*

Ibn Haukal, pag. 105. v. 8 et 17.

وبكورة سابور رستاق يعرف بالهندوجان بير بين جبلين يخرج منها دخان فيتعالي كثيرا ولا يقدر احد ان يقربها واذا طار عليها طاير سقط فيها وتري في حال هوايه احتراقه قبل تغيبه فيها وبكورة الرجان في نواحي صاهك غير بير لا قعر لها — — وبناحية دادين نهر ماء عذب يعرف بنهر اخشين يشرب منه ويسقي الارضين واذا غسلت فيه الثياب خرجت خضرا*

In tractu Sabour vicus est Hindoudjan dictus, puteum continens inter duos montes, e quo prodit adscenditque multus fumus, et ad quem nemo accedere potest. Si quando avis supra eum volet, in eum incidit, et ita quidem, ut simulac in voraginem delabatur, eam conflagrari videas, priusquam e conspectu subducatur. In ditione Al Radjani in tractibus Saheci alius est puteus sine fundo.

In tractu Dadin fluvius est aquae dulcis, Akhschin dictus, ex quo bibunt et terras rigant. Quando in eo lavantur vestes, hae virides inde exeunt (28).

Abulf. *Mawaraln.* v. *Oschrusanah.* Edit. Grav. p. 51, 52.

قال ابن حوقل واسروشنة (sic) اسم للاقليم كما ان السغد اسم للاقليم والغالب علي اسروشنة الجبال

---

(28) Locus Ibn Haukali haud integer est, quod sine dubio librario tribuendum, qui multitudine vicorum, hoc loco descriptorum, in errorem inductus, post verba كورة سابور ea retulit quae proprie ad الهندوجان pertinerent, et eo ipso memorabilia tractus Sabouri enarrare neglexit. — Distinguendus est defectus codicis a defectu operis. Simile nostri codicis vitium etiam causa nobis videtur, cur alibi nonnumquam Abulfeda cum G. O. magis conveniat quam cum Ibn Haukalo.

الجبال ويحيط باسروشنة من الشرق بعض فرغانة ومن الغرب حدود سمرقند ومن الشمال الشاش وبعض فرغانة الاخر ومن الجنوب بعض حدود كش والصغانيان وذكر لاسروشنة عدة مدن واسماوها اعجمية ولم يتضح لنا صحتها فضربنا عنها (29)*

Ebn Haukal: Osrushnah nomen regionis, quemadmodum et Al Sogd: praecipua ejus pars montosa est. Osrushnah ab ortu parte Farganae, ab occasu limitibus Samarkandae, a septentrione (terris) al Shâsh, et alia parte Farganae, ab austro confinibus Kash et Al Saganiyan, terminatur. Multae Osrushnah civitates commemorantur, quarum nomina, quod barbara sint, nec nobis vere tradita, omisimus.

G. O. p. 261.

Setroushteh (l. Oschrusanah) *is the name of a tract, or country like Soghd; there is not any city or village in this country that bears the name of Setroushteh. It is a mountainous region, bounded at the east by part of Farghanah; on the west, by the borders of Samarcand; on the north, by Chaje; on the South, it lies near Kish and Cheghanian, and Sheman, and Dileshkird, and Rast. The chief town of Setroushteh is called, in the language of that country, Boumheket, and the districts of it are Aran*, etc.

Ibn Haukal, p. 192. v. 4.

واما اشروسنة (sic) فانه اسم الاقليم كما ان السغد اسم الاقليم وليس بيا مدينة بيذا الاسم والذي يطوف بها من اقاليم ما ورا النهر من شرقيها بعض فرغانة وفامر (30) وغربيها حدود سمرقند وشماليها البساتين وبعض فرغانة وجنوبيها بعض حدود كش والصغانيان وشومان وواشجرد والراشب ومدينتها الكبري تسمي بلسان الاشروسنة بومجكث ولها من المدن ارسانكث*

Oschrusanah nomen est regionis; quemadmodum etiam Sogd. Nulla in ea urbs hujus nominis est. Regiones Mawaralnahrae eam cingentes sunt ab Oriente pars Farganae, et Famar; ab Occidente termini Samarkandae; a Septentrione Albesatin et pars Farganae; ab austro pars terminorum Caschae, Saganianae, Schoumanae, Waschidjirdae et Raschebi. Ejus urbs maxima vocatur lingua Oschrusanitica Boumhecets. Aliae urbes sunt Arsanccets, etc. (31).

Haec

(29) Legendum uti in nostro codice: ولم يتضح صحها فاضربنا عنها, *de quorum veritate eum non constet, ea omisimus.*

(30) Fortasse فاميں, quem locum Lexicon Geographicum refert inter قري بخارا, *vicos Bokharae.*

(31) Quae hic apud Abulfedam sequuntur وذكر لاسروشنة عدة مدن cet. huic ipsi tribuenda sunt, nomina illa urbium barbara, hic et deinceps apud Ibn Haukalum enumerata, a se omissa esse narranti.

Haec loca apud Sacyum priorem classem constituunt. In iis perfecta fere inter Geographiam Orientalem et Abulfedam convenientia cernitur: et cum his etiam noster codex, si duo priora et quintum excipias, mirum in modum conspirat. Istius autem discrepantiae caussa partim ex Abulfedae errore, ut videtur, repetenda est, partim ex codicis Ibn Haukali, quo usi sumus, corruptione. Neque tamen dissensus inter duo priora loca tantus est, ut plane impediat, quominus Abulfedam Ibn Haukali verbis usum esse statuamus. At vero, si eadem loca in Ibn Haukalo et G. O. inter se comparemus, haud facile hacc illorum versionem esse credemus; quin potius indicia diversorum operum, qualia jam supra p. 13. nobis obvia fuerunt, hic iterum observabimus.

Videamus jam de altera classe, ea loca continente, in quibus Geographia Orientalis a perfecto cum Abulfeda consensu deflectit.

Abulf. *Mawaraln.* v. *Isfidjab.* Edit. Grav. p. 51, 52.

قال ابن حوقل واما اسفيجاب فانها مدينة نحو الثلث من بنكث ولها قهندز خراب ومدينة وربض عامران وعليها سوران ويحيط سور الربض بمقدار فرسخ وفي ربضها مياه وبساتين وهي في مستو من الارض وبينها وبين اقرب الجبال نحو ثلثة فراسخ *

Ebn Haukal: Esfijab civitas magnitudine aequalis tertiae parti Bencath; arcem habuit, quae nunc diruta. Urbs et suburbia habitantur; illa duplici muro cingitur, haec ambiuntur muro unius parasangae. In suburbiis aquae sunt, et horti, in planitie scilicet; inter haec et montes proxime vicinos intervallum est trium parasangarum (32).

G. O. p. 268.

Senjat (l. Isfidjab) *is a town, with a kohendiz and citadel* (?)*; the former now in ruins. The town is in a flourishing state: the inner part of which extends for near a farsang. Near the citadel are gardens and running streams; from the town to the foot of the mountain is three farsang. The town has four gates. — There is a bazar both in the town and in the citadel. The mosque, and the governor's palace, and the prison, are situated in the inner town.*

Ibn Haukal, p. 194. v. 11 a fin.

واما اسبيجاب فانها مدينة نحو الثلث من بيكث (l. بنكث) يشتمل علي مدينة وقهندز وربض

---

(32) Verte potius: *Urbs et suburbium habitantur et muro cinguntur ambo. Ambit murus suburbium spatio parasangae. In suburbio aqua et horti sunt. Sita est* (urbs) *in planitie, nam inter eam et montes proxime vicinos intervallum est trium parasangarum.*

وربض فاما القهندز فخراب والمدينة والربض عامران وعلي المدينة الداخلة سور وعلي الربض سور ايضا يحيط بمقدار فرسخ وفي ربضها بساتين ومياه وابنيتها من طين وهي في مستواة وبينها وبين اقرب الجبال اليها نحو ثلثة فراسخ *

Isbidjab urbs est tertiae fere parti Boncatsi aequalis; constat urbe, arce, et suburbio. Arx vastata est, urbs vero et suburbium hominibus frequentantur. Urbem interiorem murus cingit, quemadmodum etiam suburbium alius longitudine fere parasangae (33). *In ejus suburbio sunt horti et aqua; domus e luto confectae sunt. Sita est in planitie, nam proximi montes tribus fere parasangis ab ea distant*, etc.

Abulf. *Aegypt. in Marg. extr.* Edit. Michaël. p. 15 et version. p. 12.

قال ابن حوقل في (34) اخبار مصر ان الجفار في ايام فرعون كانت معمورة بالقري والمياه وعنها قال الله تعالي ودمرنا ما كان يصنع فرعون وقومه لديه (35) وما كانوا يعرشون قال ولذلك يسمي العريش عريشا *

Ibn Haukal in descriptione Aegypti dicit (36), *Gefar Pharaonum tempore frequentem fuisse urbibus aquaeque divitem, et de ea dicere Deum* (*in Corano*) *exscidimus quod struebat Pharao populusque ejus* [*cum eo*], *quodque aedificabant, unde et vult urbi El-Arisch nomen Arisch, i. e. aedificationis mansisse.*

G. O. p. 37.

The Egyptians say that the land of Khefa, or Khefakar, was inhabited and cultivated in the time of Pharaoh.

Ibn Haukal, p. 53. v. 9.

ويزعم اهل مصر في اخبارهم ان الجفار ايام (في ايام .l) فرعون كانت معمورة بالقري والمياه وان الذي قال الله تعالي ودمرنا ما كان يصنع فرعون وقومه وما كانوا يعرشون هو الجفار وكذلك سمي العريش عريشا

Nar-

---

(33) Ex h. l. lucem accipit Abulfeda, et apparet Gravium interpretem male suo munere functum esse; nam *duo* tantum muri sunt, non *tres*, pertinetque aff. عليها ad مدينة et ربض simul.

(34) In codice L. B. recte legitur وفي اخبار. (35) Codici L. B. recte deëst لديه. Cf. Cor. VII. 133. ed. Henck. (36) Propter copulam و in nostro codice particulae في praefixam, vertendum censeo: *Dicit Ibn Haukal: in historiis Aegypti* (narrant) *Pharaonem*, etc. quod etiam ipse Haukalidae locus confirmat.

Narrant Aegyptii in suis historiis, Djafaram tempore Pharaonis fuisse vicis et aqua refertam, atque Dei summi verbis: Exscidimus quod fecit Pharao ejusque populus, et quod exstruxerunt, hanc Djafaram significari. Similiter ab Arisch (i. e. tabernaculum) *Al Arisch hoc modo nominatur.*

Abulf. *Mesopot.* v. *Maridin.* B. T. IV. p. 242.

قال ابن حوقل وبالقرب من نصيبين جبل ماردين من الارض الي ذروته نحو من فرسخين وبه قلعة منيعة لا يستطاع فتحها عنوة وبها حيات موصوفة تفوق الحيات بسرعة القتل وهو جبل به جواهر الزجاج *

Prope Nisibin, ait filius Haukali, est mons Maredin, cujus verticem qui vult assequi, duas propemodum parasangas necesse habet scandere. In eo est arx fortissima, quam vi nemo subigat. In eodem sunt celebres serpentes de veneno, quod citius necare ajunt, quam venenum aliorum serpentum. Sunt tandem etiam ibidem gemmae vitreae.

G. O. p. 56.

In the vicinity of Nisibin there is a mountain called Mardein, which, from the bottom to the summit, measures two farsang; and on it is another impregnable castle. This mountain produces chrystal.

Ibn Haukal, p. 74. v. 2.

وبالقرب منها (نصيبين) جبل ماردين ومن قرار الارض الي ذروته قدر فرسخين وعليه قلعة لحمدان بن الحسن بن عبد الله بن حمدان تعرف بالباز الاشهب في بلد الروم لا يستطاع فتحها عنوة وبجبلها حيات موصوفة تفوق الحيات في سرعة القتل وبجبل ماردين هذا جوهر للزجاج (الزجاج .l) جيد *

Prope Nisibin est mons Maridin, ad cujus fastigium a terrae superficie spatium est duarum parasangarum. In eo est arx Hamadani ibn al Hasan ibn Abd-allah ibn Hamadan, quae Baz al Aschabi (i. e. vultur albus) *dicitur in ditione Graecorum, et nulla vi expugnari potest. In illo monte etiam serpentes sunt celebres, aliis praestantes celeritate qua mortem inferunt. Inveniuntur etiam in hoc monte Maridin gemmae vitreae eximiae.*

Abulf. *Sedjest. in Marg. extr.* B. T. IV. p. 281.

قال ابن حوقل واراضي سجستان بها الرمال والنخيل وهي ارض سهلة لا يري فيها جبل ويشتد

ويشتد بها الريح وتدوم وبها ارحية تطحن بالريح وتنقل الرياح رمالهم من مكان الي مكان واذا
ارادوا نقل الرمل من مكان عملوا هناك حايطا من خشبان او غيره وجعلوا مثله طوقا وابوابا
فيدخل الرايح (الريح .l) من تلك الابواب وتطير الرمل وترميه بعيدا وكانت مدينة سجستان
القديمة رام شهرستان فخربت رام شهرستان وبنيت زرنج عوضها وسجستان خصبة كثيرة الطعام
والتمر والاعناب واهلها ظاهروا اليسار ويرتفع مفازة سجستان شي كثير من الحلتيت حتي انه
قد غلب علي طعامهم *

***Frequentes** in illa provincia* (Sedjestana) *sunt arenae*, ***ait** filius Haukali*, *et palmae; solum lene et planum est; nusquam ibi montes comparent. Lenes* (l. graves) *ibi quoque et constantes venti*, *qui molas agitant. Iidem venti arenas ex uno loco in alterum transvolvunt. Quando nempe velint purgatum arenis aliquem locum habere*, *faciunt ibi sepem aut domunculam ex argilla*, *aut alia quadam materie; cujus fundum construunt in modum fornicis*, *et instruunt foribus*, *per quas venti subeuntes alatum quasi pulverem procul disjiciunt* (37). *Antiqua Segestanae urbs erat Ram Schahrestan; sed ejus devastatae in locum condita deinceps est Zaranga. Segestana est fertilis*, *victu caetero*, *dactylis* (l. fructibus et uvis) *abundans. Incolae sunt cultu habituque nitidi. Multum laseris* (*aut assae foetidae*) *petitur ex deserto illo*, *tanta copia*, *ut plurimam partem victus eorum hominum efficiat* (38).

G. O. p. 205.

Some land in the vicinity of this city (Zarinje) *is barren and sandy. The air is very warm. Here they have dates: there are no hills. In winter there is no snow: in general there is a wind*, *and they have windmills accordingly.*

Between Kirman and Sejestan there are some considerable buildings, *the remains*, *it is said*,

(37) Locum hunc a Reiskio nonnullis vitiis inquinatum, rectius sic vertit de Sacy l. l. p. 62: „*Quand ils veulent deplacer le sable de quelque endroit*, *ils y font une espèce de muraille de bois* „ *ou autre matière*, *et pratiquent dans la partie la plus basse des fenêtres et des portes: le vent* „ *entrant alors par ces portes*, *fait voler le sable et le jette bien loin de là.*" quamvis apud Abulfedam nulla fit mentio de fenestris in *infima* muri parte factis.

(38) Versio Reiskiana secundum Sacyum l. l. p. 63. etiam h. l. correctione indiget; quoniam haud verisimile est Sedjestanos maximam alimenti sui partem ex assa foetida habuisse. Vertit Vir Celeb. „ *Les habitans ont un exterieur de richesses et d'aisance. On tire des déserts du Segistan* „ *une si grande quantité d'assa foetida*, *que les habitans en font un usage presque général dans* „ *tout ce qu'ils mangent.*"

said, of the ancient city called Ram Shehristan. — The city of Zerenje was built by men originally of this Ram Shehr.

p. 207.

Sejestan is a fertile and fine country: it produces dates in abundance. Most of the inhabitants are wealthy and opulent.

Ibn Haukal, p. 155. v. 8 a fin. et 156. v. 7 et 19.

وارضها (سجستان) سبخة ورمال وهي حارة بها نخيل ولا يقع بها الثلوج وهي ارض سهلة لا يري بها جبل واقرب جبالها بناحية فرة وتشتد رياحهم وتدوم حتي انهم قد نصبوا عليها ارحاء يسيرونها بها وينتقل رمالهم من مكان الي مكان فلو لا انهم يحتالون عليها لطمّت القري والمدن بها وذلك ان جميع الارض رمل وبلغني انهم اذا احبوا نقل الرمل من مكان الي مكان من غير ان يقع علي الارض التي الي جانب المكان الذي ضرهم كون الرمل به وسقوطه فيه جعلوا مثل الحايط من خشب وشوك وغيرهما (ضره كون الرمل به) (39) وفتحوا في اسفله بابا فيدخله الريح ويطير الرمل علي اعلاه مثل الزوبعة فيرتفع علي مد البصر حيث لا يضرهم —— ويقال ان المدينة القديمة في ايام العجم كانت فيما بين كرمان وسجستان بالقرب من دارك بحذا راسك عن يسار الذاهب من بخاري الي كرمان علي ثلاث مراحل وابنيتها وبعض بيوتها قايمة الي هذه الغاية واسم هذه المدينة اير سهريار ويقال ان نهر سجستان كان يجري عليها فانقطع ببتو كان (بتة وكان .ا) يسكر من هيدمند وانخفض الماء عنه ومال فتعطلت وتحول الناس وبنوا زرنج —— وسجستان ناحية خصبة كثيرة الطعام والتمور والاعناب واهلها ظاهروا اليسار ويرتفع من مفازة سجستان فيما بينها وبين مكران غلة عظيمة من الحلتيت حتي انه قد غلب علي طعامهم ويجعلونه في عامة اطعمتهم* (40)

Re-

(39) Haec verba, quae uncinis inclusimus, glossam sapiunt, alieno loco ex margine in textum intrusam. Quippe procul dubio aut variam lectionem continent, aut potius correctionem praecedentium الذي ضرهم كون الرمل به, ab aliquo sciolo excogitatam, qui affixum pl. huic loco minus aptum esse censebat.

(40) Fortasse h. l. etiam ultima verba ويجعلونه في عامة اطعمتهم variam lectionem exhibent praecedentium حتي انه قد غلب طعامهم; quae sola descripsit Abulfeda, alteri illi phrasi sensu paene respondentia. Quodsi ita sit, particula و in ويجعلونه, uti saepe, significat وفي نسخة اخري.

Regio Sedjestanae est salsuginosa, arenosa et calida. In ea crescunt palmae: nulla vero cadit nix. Est terra plana, nullos continens montes. Proximus ei mons est in tractu Farae. Vehementes in ea spirant venti iique continui, ita ut incolae molas exstruxerint, quae ab iis agitentur. Ibi arenae e loco in locum vento volvuntur. Quod nisi huic malo arte mederentur, vici urbesque arenis obruerentur; nam tota regio arenosa est. Narratum mihi est eos, quando arenam ex uno loco in alium deportare volunt, absque ut cadat in terram ei loco vicinam, ubi arena ipsis molesta adest aut incidit, compingere ex ligno et spinis aliave materie septi speciem; deinde eos in hujus septi parte inferiori januam aperire, ut eam ventus intret, et arenam superiora versus venti typhonis instar volare faciat, illamque quantum prospici potest (i. e. ad magnam distantiam) *deferat, ubi iis amplius nocere nequeat.*

Ajunt antiquam urbem tempore veterum Persarum fuisse inter Kermanam et Sedjestanam prope Darec e regione Raseci (41) *ad manum sinistram proficiscenti Bokhara versus Kermanam, tres diaetas* (a via distantem). *Aedificia et pars domorum supersunt ad hoc usque tempus. Nomen hujus urbis est Air Sahriar. Dicitur fluvius Sedjestanae eam olim permeasse, postea autem prorsus defecisse, obstructo, qui ipsum cum Haidmendo jungebat, meatu. Ergo aqua subsedit, alioque deflexit. Quo factum est ut urbs incolis lares Zerendjam transferentibus nudaretur.*

Sedjestan regio est culta, abundans tritico, fructibus et uvis; ejusque incolae opulentiam prae se ferunt. Provenit ex deserto Sedjestanae, quod inter ipsam et Mecranum interjacet, magna copia leguminis assae foetidae, ita ut in plurimis cibis eo utantur, quin in vulgaribus eduliis illud numerent (42).

Quanto propius his in locis Abulfeda ad Ibn Haukalum accedat quam ad G. O. haud opus est ut disertis verbis ostendam. Alterum cum altero si conferas, apparebit, dubitari non posse quin Abulfeda Haukalidae textum secutus sit, illiusque majorem et graviorem partem verbotenus fere in suum librum transtulerit; Geographiam vero Orientalem non nisi tertio, quem adscripsimus, loco, Ibn Haukalo fere parem esse, eamque in ceteris (coll. imprimis loco secundo) pauciora referre, et nonnumquam, (uti in quarto

(41) Lex. Geogr. راسك من اشهر مدن مكران ولها رستاق يقال له الحزوج, *Rasec est e celeberrimis Mecranae urbibus. Ipsi est ditio Al Hozoudj dicta.*

(42) Sequuntur jam apud Sacyum l. l. duo loca, ad Iracam Persicam pertinentia, quae hic omisimus, quoniam infra in ipsa hujus regionis descriptione occurrent.

to) complura, quae majoris momenti sunt, plane omittere. Quae omnia, etiamsi alia argumenta non spectemus, dubiam nobis reddunt sententiam, librum Persicum esse Ibn Haukali Geographi versionem, vel etiam epitomen; nisi cum Sacyo statuas istam epitomen valde fuisse depravatam. Ceterum ab altera parte etiam haec loca adscripta magnam esse similitudinem inter librum Persicum et Ibn Haukali opus, manifeste ostendunt.

Accedamus jam ad tertiam classem, ea loca complectentem, quae in G. O. obvia, paribus locis apud Abulfedam ex Ibn Haukalo citatis, Sacyo prorsus esse videbantur contraria. In his nostrum Ibn Haukali codicem etiam aliquoties deficientem observabimus; sed defectus illi tales sunt, quos vel errori Abulfedae, vel depravato codici quo usi sumus, tribuas; universus enim locorum contextus eorum similitudinem abunde demonstrat.

Abulf. *Mawaraln. in Marg.* Edit. Grav. p. 19, 20.

قال ابن حوقل وفي جبل من بعض جبال البتم غار ويستوثق من ابوابه وكواه فيجتمع في ذلك البيت من الغار بخار يشبه النار بالليل والدخان بالنهار ويتلبد ذلك البخار وهو النوشادر ولا يتهيا لاحد ان يدخل ذلك البيت الا ان يلبس لبودا ويربطها ويدخل بسرعة وياخذ من النوشادر قال وهذا البخار ينتقل من مكان الي مكان (43) فيحفر عليه حتي يظهر واذا لم يكن عليه البيت ليمنع (44) من التفرق لم يضر من قاربه *

Ebn Haukal: in montibus al Botom (l. in quodam monte ad montes Botomi pertinente) *spelunca est, cujus spiraculis occlusis vapor in ea densus exoritur, noctu ignem, interdiu fumum referens; et hoc est Al Nushader (Sal Ammoniacum). Nemo tuto poterit cavernam ingredi, nisi vestimentis crassis corporique adstrictis cooperiatur, et confestim Al Nushader auferat. Vapor de loco in locum movetur, quem, donec apparuerit, fodiendo consequuntur. Si nullus fuerit fornix, qui* (l. Si nulla domus foret, quae) *dilatationi vaporis impedimento sit* (l. esset), *accedentem non laedit* (l. laederet).

G. O. p. 264.

The mines of Sal Ammoniac are in the mountains, where there is a certain cavern, from which a vapour issues, appearing by day like smoke, and by night like fire. Over the spot whence the vapour issues, they have erected a house, the doors and windows of which are kept so closely shut and plastered over with clay that none of the vapour can escape. On the upper part of this house the copperas rests. When the doors are to be opened, a swiftly-running man is chosen, who, having his body covered over with clay, opens

(43) In Codice L. B. deëst الي مكان.

(44) In Cod. L. B. legitur ليمنع البخار ومن.

opens the door; takes as much as he can of the copperas, and runs off; if he should delay, he would be burnt. This vapour comes forth in different places, from time to time; when it ceases to issue from one place, they dig in another until it appears, and then they erect that kind of house over it: if they did not erect this house, the vapour would burn, or evaporate away.

Ibn Haukal, p. 193. v. 5.

وفي جبل منه (بتم) كالغار قد بني عليه كالبيت واستوثق من ابوابه ولواه (وكواه .l) وفيه عين يرتفع منه بخار يشبه بالنهار الدخان وبالليل النار فاذا تلبد هذا البخار قلع منه النوشادر وداخل هذا البيت من شدة الحر ما لا يتهياء لاحد ان يدخله الا احترق الا ان يلبس لبودا يربطها (يرطّبها .l) بالماء ويدخل كالمختلس فياخذ ما يقدر عليه من ذلك وهذا البخار ينتقل من مكان الي مكان فيحفر عليه حتي يظهر فاذا حفر عليه في مكان (45) حفر عليه اخر حتي يظهر واذا لم يكن عليه بناء يمنع البخار من التفرق لم يضر من قاربه حتي اذا اختنق في بيت احرق من يدخل من شدة الحر*

In monte Botomi est quasi spelunca, supra quam aedificium domus instar exstructum est, cujus januae et fenestrae sunt clausae. In ea est fons, ex quo vapor adscendit, de die fumo, noctu vero igni similis. Quando hic vapor compactus est, ex eo colligitur Sal Ammoniacum. Intra hoc conclave tanta est vehementia caloris ut nemo eo possit accedere, quin comburatur, nisi vestem induerit crassiorem, aqua madefectam, et raptim intrans, tantum de isto sale auferat quantum possit. Vapor hic de loco in locum procedit; et tamdiu, ut illum assequantur, fodiunt, donec appareat, et quando alicubi fodiunt, (neque vapor apparet) *alio loco fodiunt, donec appareat. Quodsi nulla esset supra hanc* (speluncam) *domus quae impediat quo minus vapor dispergatur, non noceret accedenti; nunc vero loco isto inclusa, intrantem propter ingentem calorem comburit.*

Geographia Orientalis etsi in his nulla referat Abulfedaeis contraria, hunc locum tamen, quippe a Sacyo V. C. ad tertiam classem relatum, silentio praetermittere noluimus.

Abulf. *Armen. in Marg.* B. T. V. p. 307.

قال ابن حوقل واما باب الابواب فهي علي بحر طبرستان ويكون في القدر اصغر من اردبيل ولهم الزروع الكثيرة واثمار قليلة الا ما يحمل اليهم من النواحي وهذه الصفات التي ذكرها هي علي ما كان في زمانه*

Bab

(45) Fortasse ex idit ولم يظهر.

Bab ol Abwabi est ad mare Thabarestanae; minor est mole quam Ardebil. Segetes habent ibi multas; fructus horaeos perquam paucos, nisi qui aliunde ad eos deferantur. Sic erat illo tempore comparatum, quo scribebat haec filius Haukali.

G. O. p. 158.

Derbend is situated on the coast of the sea of Taberistan. It is larger than Ardebil, with many fields and meadows, and cultivated lands. It does not produce much fruit; but the people supply that from other quarters.

Ibn Haukal, p. 110. v. 7 a fin.

وبحر الخزر هو بحر طبرستان وهي (باب الابواب) مدينة اكبر من اردبيل زروعا واثمارها قليلة الا ما يحمل اليهم من النواحي *

Mare Khozarorum est idem ac mare Thabaristanae. Bab al abwab urbs est agros sativos plures habens, quam Ardebil: sed fructus ejus sunt pauci, nisi excipias eos qui aliunde afferantur.

Si lectio Geographiae Orientalis vera et incorrupta sit, (de quo, collato Ibn Haukali loco, merito dubites,) eam profecto non secutus est Abulfeda, contraria de magnitudine Bab al abwabi referens. Sed Ibn Haukal etiam ab Abulfeda discrepare videtur, quippe qui de vera hujus urbis magnitudine taceat. Est vero illa discrepantia tantum apparens, nam praeced. pag. in initio descriptionis Adzerbeydjanae dixerat noster: واجل النواحي في اذربيجان واكبر مدنها اردبيل في وقتنا هذا, *Celeberrimus tractus Adzerbeydjanae, et maxima urbs hoc nostro tempore est Ardebil;* unde recte effecit Abulfeda Bab al abwab fuisse minorem.

Abulf. *Aegypt. in Marg.* Edit. Michaël. p. 5. et version. p. 4.

قال ابن حوقل ويعرف شمالي النيل اسفل من الفسطاط بالجوف (46) وجنوبيه بالريف ومعظم رساتيق وقراها (في adde) هذين الموضعين *

Auctor est Ibn Haukal, Septentrionalia circa Nilum, quae infra Fostatam sunt, Hauf vel

(46) Michaëlis praefert حوف. In utroque codice, tum Abulfedae tum Ibn Haukali, legitur حوف. Mox omittit Mich. في ante هذين, etsi hanc particulam in versione sua expresserit, eamque in codice Parisiensi male deësse fateatur. Vid. ejus nota 48. Adde Sacyum *Relat. de l'Egypte*, p. 396 sqq. n. 56. ubi de ipso Haukalidae nostri loco secum ab Akerbladio communicato disputavit.

vel Gauf vocari, meridionalia autem Rif; maximamque pagorum et urbium Aegypti partem esse in his duobus tractibus.

G. O. p. 36.

The left side of the Nile is called Khouf. In this division are situated Kiasah, and Ierjeir, and Kakour. The opposite division, on the right side of the river Nile, they call Zeif. These two places contain the chief villages of Egypt.

Ibn Haukal, p. 54. v. 7.

والحوف ما كان من (شمالي) النيل واسفل الفسطاط وما كان جنوبيه يعرف بالريف
ومعظم رساتيق مصر بالحوف والريف *

Hauf dicitur quod est ad (septentrionem) *Nili et infra Fosthatham; quod vero est ad ejus austrum vocatur Rif. Maxima pars pagorum Aegypti invenitur in Hauf et Rif.*

In G. O. transpositio nominum locum habuisse videtur. Ibn Haukal cum Abulfeda plane convenit, si nobiscum post من restituas شمالي, quod librarii negligentia excidisse videtur.

Abulf. *Mesopot. in Marg.* B. T. IV. p. 238.

قال ابن حوقل وبها (مدينة هيت) اثار ابنية امير المومنين ابي العباس القايم *

Sunt ibi (in urbe Hit) *ut ait Haukali filius monumenta aedificiorum Amiri'l Muminine Abi'l Abbasi'l Kayemi.*

G. O. p. 59.

Heith is on the western side of the Forat: it has a strong castle and is opposite Tacrith. Tacrith is situated on the western side of the river Dejleh. Anbar is a town of middling size. Abou al Abbas al Kaiem Billah resided there, and the remains of his palace are still visible.

Ibn Haukal, p. 78. v. 11.

وهيت مدينة وسطة عن غربي الفرات وعليها حصن — — وهي تحاذي تكريت — —
وتكريت في شمال العراق وبهيت قبر عبد الله المبارك الزاهد العابد الاديب والانبر فيها من
ابنه (ابنية .l) السفاح *

Hit urbs est mediocris ad occidentem Euphratis, arce munita. —— Sita est e regione Tecritae. —— Tecrit est ad septentrionem Iracae. Hit sepulcrum continet Abd-allae Almobareci pii, Numinique colendo devoti viri, et imprimis eruditi. Anbarae quaedam de aedificiis Al Safahi supersunt.

Abulfeda h. l. erroris accusandus est, quemadmodum jam monuit Sacyus l. l. p. 67,

pri-

primus enim Abbasidarum Khalifa Anbarae degebat. (Vid. Gol. *Annot. in Alfragan.* p. 124). Huic autem in G. O. male cognomen Billah tribuitur, quippe quod primus tulit Al Motasem octavus Abbasidarum Khalifa.

Abulf. *Mesopot.* v. *Al Rakkah.* B. T. IV. p. 240.

قال ابن حوقل الرقة اكبر مدن ديار بكر*
Ibn Haukal Rakkam inter potissimas urbes Dejar Bacri numerat.

G. O. p. 58.

Rakka and Rafika are two towns of this province (Diar Modhar).

Ibn Haukal, p. 77. v. 19.

واجل مدينة لديار مضر الرقة وهي والرافقة مدينتان*
Celeberrima urbs Diar Modhar est Al Rakkah. Haec et Rafikah duae urbes sunt.

Hic error ab utraque parte esse potest, quamvis putem, propter consentientes G. O. et Ibn Haukalum, Abulfedam lapsu calami scripsisse بكر pro مضر.

Ex his quidem locis apparet alias inter Abulfedam et Geographiam Orientalem discrepantias in Ibn Haukalo reperiri, alias vero desiderari. Quos leves errores sive scribarum incuriae sive aliis causis tribuere malis, hoc tamen statuendum erit Abulfedam nostrum potius opus Arabicum quam Persicum secutum esse.

Pervenimus ad classem ultimam, ad quam nonnulla referenda sunt, quae ab Abulfeda ex Ibn Haukalo citantur, at in G. O. tamen frustra quaeruntur. Sacyus quinque hujus defectus exempla attulit, quae hic eodem ordine persequemur, comparatis Abulfedae ex Ibn Haukalo citatis, cum iis nostri codicis verbis, quae huc imprimis pertinere arbitramur.

Primus locus spectat descriptionem fluvii Schasch seu Sihoun, quam Abulfeda ex Ibn Haukalo in operis sui geographici prolegomena transtulit, at cujus tamen in G. O., ubi cetera Mawaralnahrae flumina accurate describuntur, nulla fit mentio.

Abulf. *Proleg. Fluvius Schasch.* B. T. IV. p. 170.

نهر الشاش هو نهر سيحون ووجدت النقل فيه مختلفا واخترت ما ذكره ابن حوقل فانه يحكي ذلك عن شاهدة [ويذكر المدن التي يمر عليها هذان النهران اعني جيحون ونهر الشاش من غير ان يتعرض الي ذكر طول او عرض ونحن ضممنا الي ذلك اطوال المدن التي علي هذين النهرين وعروضها ليعلم تشريقه من تغريبه] قال ان نهر الشاش يقدر الثلثين من نهر

نهر جيحون قال وهو يجري من حدود بلاد الترك ويمر علي اخسيكث وهي حيث الطول احدي وتسعون وثلث والعرض اثنتان واربعون وخمس وعشرون دقيقة ثم يسير مغربا بميله الي الجنوب الي خجندة وهي حيث الطول تسعون ونصف ودقايق والعرض احدي واربعون وخمس وعشرون دقيقة قال ثم يجري الي فاراب وهي حيث الطول ثمان وثمانون ونصف والعرض اربع واربعون ثم يجري من فاراب الي ينغي كنث وهي حيث الطول ست وثمانون ونصف والعرض سبع واربعون ثم يقع في بحيرة خوارزم علي مرحلتين من ينغي كنت ومن كتاب اخر انه يصب في بحيرة خوارزم حيث الطول تسعون وعرض احدي واربعين *

Fluvius esch Schaschi, *seu Sihun*, (*aut Jaxartes*) *in quo cum viderem pariter discordes auctores*, *filium Haukali malui sequi*, *qui ex autopsia tradit*, *quae tradit*. [*Verum quum ille loca quidem commemoret*, *quae alluunt dicti duo fluvii*, *Gihun et Sihun*, *non autem simul eorum longitudines et latitudines*; *addidimus nos illas*, *quo quid in occidentem vergat*, *quid in orientem*, *notum esset*]. *Ait itaque laudatus auctor fluvium esch Schaschi propemodum duos trientes aequare Gihunis*, *et e terminis sedium Turcarum provenire*, *super Achsik* (l. Akhsikets) *ad long.* 91⅓ *gr.*, *lat.* 42 *gr.* 25 *min. Inde procedere versus occidentem cum flexu ad meridiem*, *ad* Chogendah, *ubi long.* 90½ *cum aliquot minut.*, *lat.* 41 *gr.* 25 *min. Inde ad Farab*, *cujus longit.* 88½, *lat.* 44. *Inde ad Jengi Kont*, *ubi long.* 86½, *lat.* 47. *Altera a Jengi Kont diaeta incidere in lacum Chawarezim. Alius quidam auctor perhibet hunc fluvium incidere in dictum lacum ad gr. long.* 90. *lat.* 41.

Ibn Haukal, p. 195. v. 10.

نهر الشاش وهو نهر يعظم بانهار تجتمع اليه في حدود الترك والاسلام وعموده نهر يخرج من بلد الترك في حدود اوزكند خرسان (?) ونهر اورسب وقبا ونهر حدغل وغيرها فيعظم ويغزر ماوه فيه فيمتد علي احشنكث (l. اخسيكث) ثم علي جهندة (l. خجندة) ثم علي بناكث ثم علي سنكند فيجري الي فاراب واذا جاوز حد صيران جري في برية تكون في حاشية الاتراك الغزية فيمتد الي الغزية الحديثة علي فرسخ منها ثم يقع في بحيرة خوارزم علي مرحلتين وهو نهر اذا امتد يكون بمقدار ثلثي جيحون *

Fluvius Schasch magnus est amnis, *propter alios qui cum ipso conjunguntur*, *in confiniis ditionis Turcicae et Islamiticae. Ex variis fluvius coalescit*, *quorum primarius oritur in regione Turcarum in limitibus Ouzkend Kharsanae* (?). *Reliqui sunt Awrasab*, *Koba*, *Hadgel*, *alii. Hinc mole crescit*, *et aqua abundat; et progreditur juxta Ahschankets* (l. Akhsikets) *Djahendeh*, (l. Khodjendah) *Banakits*, *Sanakend*, *et praeterlabitur Farab. Postquam autem confinia Ziranae praeteriit*, *ingreditur regionem campestrem*, *quae est in ora*

tra Turcarum Gaziorum, et procedit prope Al Gaziam novam, ad unius fere parasangae distantiam. Dein duabus diaetis interjectis incidit in lacum Khowarezmiae. Hujus autem fluminis mensura duos trientes fluvii Djihounis aequat.

Maxima hic diversitas cernitur in nominum propriorum scriptione, quae tamen ceteris congruentibus minime obstat quo minus utrumque locum unum eundemque habeamus.

Alter locus, qui secundum Sacyum V. C. l. l. p. 68 ex G. O. exsulat (47), continet descriptionem fluvii Thabi, quam ex Ibn Haukalo sic refert

Abulf. *Proleg.* *Fluvius Thab.* B. T. IV. p. 171.

ذكر نهر طاب الذي يقول فيه بعضهم
ما لذ لي قط عيش الا علي نهر طاب *
قال ابن حوقل ومخرجه من قرب المرج من جبال اصفهان وهي [حيث الطول ست وسبعون وثنتان (48) والعرض اثنتان وثلثون والاصح ما قاله في القانون اصفهان] (49) حيث الطول سبع وسبعون وثلث والعرض ثلث وثلثون وينضم اليه نهر اخر يقال له نهر مسن ثم يسير نهر طاب المذكور ويجري علي باب ارجان وهي حيث الطول ست وسبعون ونصف والعرض ثلثون ونصف ثم يسير ويقع في البحر عند شينير وهي حيث الطول خمس وسبعون وخمس وثلثون دقيقة والعرض تسع وعشرون وعشر دقايق *

Nunc de fluvio Thabi, de quo dixit aliquis poeta:

Numquam grata fuit mihi vita nisi ad fluvium Thabi.

Hujus ortus est, sic ait filius Haukali, prope 'l Marg (seu campum) de montibus Ispahanae, [quae est ad long. 76 gr. cum ⅔, latit. 32. Sed rectius al Birunensis in Canone tra-

(47) Haec tamen revera in Geographia Orientali non desunt. Inveniuntur enim descriptio fluvii Thabi ibid. p. 96. his verbis: *The river Tab issues from the mountains of Isfahan, near Berje; and, being joined by another stream from the same quarter, at the village of Mes, proceeds to Arjan, and passes under the bridge called Dekan, and affords water to Pars, and Khuzistan, and Roustai-Zem, and falls into the sea.*

(48) Vocabulum ثنتان ita edidimus ut in codice scriptum invenimus. Reiskius de uno triente intellexit, quae opinio unde fluxerit nescio. Si ثلثان legeretur res expeditior foret; si اثنتان de duobus minutis esset intelligendum.

(49) Quae hic et praecedenti Abulfedae loco uncinis inclusa sunt, in ipso codice, lineâ rubra transversa erant deleta.

tradit longitudinem Ispahanae esse] *gr.* 77½, *lat.* 33. *Ad hunc fluvium alius se associat Masn dictus. Inde praeterit ille fluvius Thab portas Organae, quae est ad gr. long.* 76¾, *lat.* 30½. *Inde provectus incidit in mare apud Schiniz, ubi long.* 75 *gr.* 35 *min. lat.* 29 *gr.* 10 *min.*

Ibn Haukal, p. 96 med.

واما انهار فارس فذات مياه طيبة تخرج من حدود اصبهان وجبالها فتظهر بناحية السردن
بعد ممرها بنواحي البرج وانصبابها في نهر مسن وهو النهر الخارج من نواحي اصبهان
الي نواحي السردن ومجمعها عند قرية تدعي مسن ولا يزال ما يفضل عن حاجتهم جاريا
الي باب الرجان تحت قنطرة ثكان وهي قنطرة بين فارس وحوزستان (خوزستان .l) قليلة
النظير وهي عندي اجل من قنطرة قرطبة من عمل بعض ثنا فارس فتسقي رستاق وشهر ثم
يقع في البحر عند حد شينيز*

Ad fluvios Persidis quod attinet, habet bonas aquas orientes in confiniis Ispahanae ejusque montibus, et apparentes in regione Al Sardan postquam transierunt tractum Al Bordj. Sese exonerant in fluvium Masen, qui itidem e tractu Ispahanae versus illum Sardani procedit. Conjunguntur prope vicum Masen dictum; neque desinit aqua fluere uberius quam incolarum necessitates postulant, usque ad portam al Radjan sub ponte Tsakan; qui pons inter Persidem et Khouzistanam exstans paucos sibi pares habet, ita ut, me quidem judice, opere praestantior sit ponte Cordubae et ex laudatissimis Persiae rebus. Rigat pagum et urbem (50), *deinde incidit in mare prope confinia Schiniz.*

Haec fluvii descriptio adeo egregie convenit cum illa Thabi, quam Abulfeda ex Ibn Haukalo descripsit, ut nullum sit dubium quin iste fluvius, cujus nomen ab initio cum nonnullis aliis excidit, sit ipse fluvius Thab, quem Abulfeda ante oculos habuit, et cujus notitiam ex nostro potius opere Arabico desumsit quam ex Persico.

Memorat porro Abulfeda in *Descr. Magreb* seu *Occidentis* Marg. B. T. IV. p. 203. Africam proprie dictam etiam nomine *Adwae* (عدوة) jure vocari, siquidem, ut referat Ibn Haukal, Tuneto, urbe Africae, trajectus sit in Hispaniam. Sed ut in Geogr. Orient., sic etiam in nostro Ibn Haukali codice, in memoratae urbis descriptione vel alibi ejusmodi observatio desideratur. At in duobus postremis hujus classis exemplis, de quibus nunc agendum restat, magna rursus inter Abulfedam et Ibn Haukalum convenientia cernitur.

Abulf.

(50) شهر Persicum est. Habet haec phrasis proverbii speciem: *zij loopt door stad en land.*

Abulf. *Mesopot.* v. *Al Dalia.* B. T. IV. p. 246.

قال ابن حوقل ومدينة الدالية مدينة بشط الفرات صغيرة هي غربي الفرات بها اخذ
صاحب الخال المعروف بابي شامة القرمطي كان خرج بالشام *

Od Dalijah est urbs parva, ut ait filius Haukali, in Eufratis ripa occidentali, ubi captus est Saheb ol Chali, (seu possessor naevi), vulgo Abu Schamati (pater naevi) dictus, ol Karmathensis, qui concitaverat in Syria tantas turbas.

Ibn Haukal, p. 79. v. 1.

الدالية مدينة صغيرة بشط الفرات عن غربيه وبها (51) احد الخوارج بالشام علي بني العباس *

Al Dalya urbs est parva in ripa occidentali Eufratis. In ea (captus est) *unus eorum qui in Syria rebellaverant adversus Abbasidas.*

Abulf. *Sedjest.* v. *Al Rohhadj.* B. T. IV. p. 281.

ابن حوقل ومما يتصل بسجستان الرخج وهو اقليم فيه عدة مدن فمن مدنه نجوان (52)
والرخج علي غاية الخصب والسعة *

Or Rochchag, ut ait filius Haukali, est provincia cum Segestana cohaerens, multarum urbium, quas inter est Bangawan et or Rochchag (urbs). Admodum est fertilis et dives, et largiter instructa rebus necessariis (53).

G. O. p. 207.

In the district (of Sejestan) *called Reheji* (l. Rokkhadj) *they apply themselves very much to farming and husbandry. In this district are the towns of Tell and Darghes, on the banks of the Heirmend* (l. Heidmend); *and Toghahi and Khilje, and Kabul and Ghaur are of the colder climate.*

Ibn

(51) Fortasse hoc loco propter literarum similitudinem excidit verbum أخذ.

(52) Incertum quomodo vox scribenda et efferenda sit, vel نجوان, vel بنجوان ut Reiskius accepit, vel نخجوان ut in codice Sacyano.

(53) Rectissime corrigit Reiskium Sacyus, l. l. p. 69. *Au nombre des lieux qui dépendent du Ségestan (ou qui sont limitrophes du Ségestan) est Arrokkhadj: c'est un canton où il y a plusieurs villes, et de ce nombre est Nakhdjiwan. Arrokkhadj est un canton extrêmement fertile et abondant en toutes sortes de choses.*

Ibn Haukal, p. 156. v. 10 extr.

ورخج اسم الاقليم بين بلدي الداور وباليش وعامتها صوافي ويرتفع لبيت المال منها مال عظيم ويتسع اهل تلك النواحي بغلاتها وهي علي غاية الخصب والسعة *

Rokhkhadj nomen est regionis inter duas provincias Aldawer et Balisch. Homines ibi vulgo ad Sufiorum sectam pertinent. Ex isto tractu magnum tributum in aerarium defertur. Incolae hujus regionis frugum proventu abundant. Est enim admodum fertilis et omnibus rebus lauta.

Utrum duorum auctorum Abulfeda etiam his in verbis laudandis secutus sit et expresserit, nulli profecto dubitationi potest esse obnoxium. Quae cum ita sint, ex quinque locis, quibus ultima haec classis constat, unum eumque ordine secundum, in G. O. cum citatis ex Ibn Haukalo apud Abulfedam verbis convenire videmus; ceteri vel plane desunt, vel nullam fere cum Abulfedaeis similitudinem offerunt. Apud ipsum vero Ibn Haukalum non nisi unus defectus, et quidem parvi momenti in loco tertio observatur: unde novum, et haud contemnendum ad nostram sententiam firmandam argumentum petimus. Etenim cum tanta sit inter Abulfedae et Ibn Haukali loca convenientia, tantus vero haec inter et Geographiam Orientalem, tot tantisque defectibus laborantem, dissensus, vix credimus eam ullo jure operis Ibn Haukali epitomen, nedum ejusdem versionem posse vocari.

Sic igitur ducem secuti Sacyum V. Celeb. Abulfedae cum Ibn Haukalo comparationem absolvimus. Nunc vero, eodem praeëunte, locorum, quae inter se contulimus, agmen claudat unum adhuc exemplum ex alio auctore, Makrizio, petitum; cujus, si vel solum exstaret, maxima esset futura auctoritas. Makrizius nempe in descriptione Aegypti ex Ibn Haukalo amplum retulit de Pyramidibus testimonium, quod in G. O. valde diversis, in nostro vero Ibn Haukali codice iisdem fere verbis expressum est, quemadmodum ex adscriptis locis cognoscetur.

Makrizius (54).

وقال الحوقلي (55) في صفة مصر وبها الهرمان اللذان ليس علي وجه الارض لهما نظير في ملك

---

(54) Tres codices, n. 1782 (276), n. 1783 (371), et n. 1784 (372), quibus usi sumus, descriptos vid. in Hamak. V. Cl. Specim. Cat. MSS. B. L. B. p. 196 sqq. Integrum locum ex n. 371 edidimus. Reliquorum codicum varietates in notis retulimus.

(55) n. 372 قال الحويلعي. n. 276 قال الجولقي.

ملك مسلم ولا كافر ولا عمل ولا يعمل كهما وقرا بعض بني العباس علي احدهما اني قد
بنيتهما فمن كان يدعي قوة في ملكه فليهدمهما فالهدم ايسر من البنيان (56) فهمّ بذلك واظنه
المامون او المعتصم فاذا خراج مصر لا يقوم به يوميذ وكان خراجها علي عهده بالانصاف (57) في
الجباية وتوخي (*57) الرفق بالرعية والمعدلة اذا بلغ النيل سبعة عشر (58) ذراعا وعشرة اصابع
اربعة الاف الف ومايتي الف وسبعة وخمسين الف دينار والمقبوض علي الفدان دينارين فاعرض
عن ذلك ولم (59) يعد فيه شيا وفي حد الفسطاط في غربي النيل ابنية عظام يكثر عددها
مفترشة (60) في ساير الصعيد تدعي (61) الاهرام وليست كالهرمين اللذين تجاه الفسطاط وعلي
فرسخين منها ارتفاع كل واحد منهما اربعماية (62) ذراع وعرضه كارتفاعه مبني بحجار (63)
الكدان التي (64) سمك الحجر وطوله وعرضه من العشرة اذرع الي الثمان بحسب ما
دعت (65) الحاجة الي (66) وضعه في زيادته ونقصه واوجبته الهندسة عندهم (67)
لانهما كلما ارتفعا في البنا ضاقا حتي يصير اعلاهما من كل واحد منهما مثل مبرك جمل وقد
مليت حيطانها (68) بالكتابة اليونانية وقد ذكر قوم انهما قبران وليسا كذلك وانما جد اصحابهما
(69) في عملهما انه قضي بالطوفان انه يهلك جميع ما علي وجه الارض الا ما حصن في
مثلهما فخزن دخايره (70) وامواله فيهما واتي الطوفان ثم نضب فصار ما كان فيهما الي
بيصر (71) ابن (بن .l) مصرايم ابن (بن .l) حام بن نوح (72) وقد خزن (73) فيهما
بعض الملوك المتاخرين اهراه *

Dicit Ibn Haukal in descriptione Aegypti. In ea duae sunt pyramides, quarum similes nusquam terrarum, nec in Moslemorum, nec in Infidelium ditione exstant. Nihil ejusmodi umquam exstructum fuit, nec in posterum exstruetur. Legit aliquando in harum alterutra quidam Abbasidarum: ego has aedificavi: quicumque de potentia sui imperii gloriatur, eas destruat. Nam diruere facilius est quam aedificare. Hac de re igitur cogitavit (Abbasida), *quem Mamounum vel Motasemum fuisse existimo, sed reditus Aegypti huic demolitioni non sufficiebant. Erant autem illi reditus tum temporis,*
(*quam-*

---

(56) n. 372. البنا. (57) n. 276. بالصناف. (57*) n. 276. توحي. (58) n. 372. سبع عشرة. (59) n. 372. فلم. (60) n. 372 et n. 276. مفترسة. (61) n. 276. تداعي. (62) n. 276. اربعة ماية. (63) n. 276. حجارة et n. 372. بالحجارة. (64) n. 372. الذي. (65) n. 276. دعيت. (66) Id deëst الي et affix. ﻩ in زيادته. (67) Id. عنهم. (68) n. 372. حياطانهما. (69) Id. اخذ صاحبهما. Dein بان الطوفان يهلك. n. 276. جد صاحبهما. Bene. (70) n. 276. دحايره. (71) Idem بنصر. (72) n. 372 addit عليه السلام. (73) n. 276. حزن.

(quamquam ex aequo et bono tributum exigeretur, magnumque esset studium benignitatis adversus subditos), quando perveniebat Nilus ad 17 cubitos et 10 digitos, 4,257,000 aureorum. Singulis jugeris impositum erat duorum aureorum vectigal. Igitur a proposito abstinuit (Abbasida), *nec amplius ad illud institutum rediit* (?). *In confiniis Fosthathae ad occidentem Nili magna sunt aedificia, quorum ingens numerus dispersus quasi est per universam Thebaidem, et quae pyramides vocantur. Sed hae neutiquam pares sunt duabus illis pyramidibus quae ex adverso sunt Fosthathae, et duas ab ea parasangas distant. Harum enim singularum altitudo est 400 cubitorum, latitudine altitudinem aequante. Constructae sunt ex lapidibus Kadan et uniuscujusque lapidis crassities, longitudo et latitudo variant inter decem et octo cubitos, prouti locus, ubi lapis ponendus est, et regulae geometricae illum majorem minoremve requirunt. Etenim utraque, quo altior assurgit, eo fit arctior, ita ut earum summum fastigium vix camelum decumbentem capere possit. Earum parietes impletae sunt scripturis Graecis. Jam vero nonnulli narrant eas esse sepulcra, quod minime verum; nam idcirco a conditore exstructae sunt, quoniam decretum erat quidquid in orbis terrarum superficie esset, id omne diluvio periturum, nisi quae ejusmodi aedificiis inclusa essent. Ergo thesauros suos et opes in iis recondidit. Advenit diluvium, quod postquam subsedit, quidquid in iis pyramidibus erat, pervenit in potestatem Bayzari ibn Mizraim ibn Ham ibn Nouh. Iisdem reges quidam recentiores horrei frumentarii loco usi sunt.*

G. O. p. 33.

At the distance of two farsang from Fostat, there are some ancient structures, called Ahouam, of which two are very lofty piles, and called Houman: these are each, in height, four houndred guz: and on the walls thereof are inscriptions written in the Greek language; and this writing is said to signify, „the building of Houman and Sertaier (was) in the sign Cancer." These edifices are quadrangular, and gradually diminish towards the summits, which are about large enough for a camel to stand on; within them there are passages in which a man cannot go without some difficulty. And in Houman is a cleft, or excavation, under the ground, supposed to have been, with some appearence of probability, the burial-place of the ancient sovereigns of this country.

Ibn Haukal, p. 47. v. 12. et p. 51. v. 7. extr.

وبها (مصر) الهرمان الذي ليس علي وجه الارض لهما نظير لمسلم ولا لكافر ولا عمل ويعمل وقرا بعض بني العباس علي بعضها (بعضهما .1) اني قد بنيتهما فمن كان يدعي قوة ملكة فليهدمهما والهدم ايسر من البنا فهم به واظنه المامون او المعتصم فاذا خراج مصر يوميذ لا يقوم

يقوم به .وكان خراجها يوميذ علي الانصاف في الجراية اذا بلغ النيل سبعة عشر ذراعا
وعشر اصابع اربعة الاف (74) الف الف دينار ومايتي الف وتسعة وسبعين الف دينار
فاعرض عن ذلك ــ ــ ــ ومن حد الفسطاط في غربي النيل ابنية عظيمة يكثر عددها
مفترشة في ساير الصعيد تدعي الاهرام وليست كالهرمين اللذين تجاه الفسطاط علي فرسخين
منها ارتفاع كل واحد منهما اربع مابة ذراع وعرضه كارتفاعه مبني الحجارة الكذان التي سمك
الحجر وطوله وعرضه من العشرة الاذرع الي الثمان زايد وناقص علي ما توجبه الهندسة وموقع
الحجر من جوار لصيقه وكلما ارتفع بناوها عن وجه الارض ضاق حتي يصير اعلاه نحو مبرك
جمل (75) وقد مليت حيطانها (حيطانهما .l) بالكتابة اليونانية الشريانية وقد تقدم ذكر
بعض ما فيها (فيهما .l) من الكتابة وقد ترجم لبني العباس وفي داخل كل واحد منها (76)
طريق تسير فيه الناس الي اعلاه وفي هذين الهرمين طريق يخترق في باطن الارض واصح (77)
من احداهما الي الاخر واكثر ما سمع فيها انها قبور ملوكهم وكانت قبل اتخاذ ملوكهم اياها
قبورا مخازن واهرا للغلات *

Consensus, qui hic inter Makrizium et Ibn Haukalum observatur, talis est et tantus, ut facile intelligas Makrizium Haukalidae locum de Pyramidibus integrum fere descripsisse. Omnia enim, paucis codicum varietatibus exceptis, ab initio ad finem usque narrationis egregie inter se conveniunt. Nec dubito quin Makrizius extremam quoque narrationis Haukalidae partem tradidisset, nisi eo loco suam ipse sententiam exponere maluisset. Nam quae apud Makrizium inde a verbis وقد ذكر قوم inveniuntur, ea huic ipsi, non Haukalidae tribuenda sunt. Cum enim Ibn Haukalus retulisset ex vulgi opinione pyramides regum sepulcra et antiquiori etiam tempore horrea et gazophylacia fuisse; posteriorem sententiam sibi unice veram videri significavit Makrizius. Ab alte-

(74) Vox الاف lineâ transversâ in codice deleta est.

(75) Huc usque Ibn Haukal cum Makrizio tam accurate convenit ut versionem repetere non opus sit. Sequentia vero ab eodem diversa sic vertimus: *Impleti sunt earum parietes inscriptione Graeca et Syriaca; cujus inscriptionis partem, quippe quae in Abbasidarum gratiam conversa fuit, jam supra retulimus. In singulis pyramidibus via est, per quam quis ad earum fastigium pervenire possit; at in duabus illis* (majoribus) *etiam via est subterranea, alteram cum altera conjungens. Plerumque illae pyramides regum sepulcra fuisse feruntur, et, antequam eas hunc in usum adhiberent principes, gazophylacia et horrea fuerunt.*

(76) Etiam hoc loco legendum videtur منهما, quamvis vertendo vulgatam expressimus.

(77) Subjecit vocabulo librarius لعل واصل, quod in versione secuti sumus.

tera vero parte pyramidum descriptio in Geographia Orientali nimis ab Ibn Haukali narratione recedit, quam ut illa hujus versio vel epitome haberi possit. Nam ut reliquam diversitatem omittamus, G. O. nonnulla suae descriptioni inseruit, quae apud Ibn Haukalum plane desiderantur.

Sic ergo ad finem perduximus comparationem quorundam locorum, quae ab aliis auctoribus ex Ibn Haukalo citantur, cum maxime similibus in G. O., et nostro Ibn Haukali codice, eo consilio ut magis magisque manifestum fieret, Geographiam Orientalem injuria versionem vel epitomen operis Ibn Haukali vocari. Quod autem ea tantum loca, quae Ouseleyus, et Sacyus ll. ll. comparaverant, cum nostri Codicis auctoritate contulimus, nec plura addidimus, hoc idcirco fecimus, tum ne hujus disputationis moles nimis increscerct, tum quoniam loca adscripta sufficere videbantur, ex quibus partim de utriusque libri conditione in universum constaret, partim vero etiam nostram hac de re opinionem alii dijudicare possent. Et sane, si ea, quae ad singulas locorum inter se comparatorum classes a nobis fuere commemorata, breviter colligantur, non dubitamus quin nostra de G. O. sententia, quam supra indicavimus, vera inveniatur et stabilis. Quippe ex collatis nonnullis utriusque libri locis nos illud planum facturos esse promisimus, Geographiam Orientalem nec versionem nec etiam epitomen operis Ibn Haukali, sed talem esse, quae quamvis ab hoc libro diversa, tamen arcto quodam nexu cum eo conjuncta sit. Quod autem sententiam spectat, qua G. O. versio libri Haukalidae esse statuitur, eam Sacyus V. Celeb. jam satis superque l. l. profligavit, ut ad eam impugnandam plura hic a nobis addi necesse non sit, nisi quod ex comparatis locis Geographiae Orientalis cum ipso Ibn Haukalo denuo appareat, summo jure Sacyum istam sententiam rejecisse. Ad alteram vero opinionem de G. O. quod attinet, quam multo probabiliorem ipse Sacyus priori isti substituit, eam, etsi aegre a tanto viro recedimus, quominus accipiamus rationes et supra uberius memoratae et hic paucis repetendae impediunt. Etenim vix ac ne vix quidem eo adduci possumus ut Geographiam Orientalem epitomen esse credamus operis Ibn Haukali, in qua multa quidem occurrant, quae perfecte et verbotenus fere cum Ibn Haukali dictis conveniant; multa vero etiam quae haud parum ab eo deflectant; alia quae ipsi contradicant; alia denique, quae in ipso opere primario non inveniantur. Quamvis igitur lubenter agnoscamus probabilem esse talem de G. O. opinionem, quamdiu judicium de ea ferri debeat ex comparatis quibusdam ejus locis cum aliis apud Abulfedam aliosve auctores ex Ibn Haukalo citatis, idque ea maxime de caussa, quod semper dubium sit utrum isti auctores ea loca ex Ibn Haukalo integre descripserint nec ne; attamen ab altera parte concedendum erit illam probabilitatem multum imminui, si, iisdem locis cum vero et genuino Ibn Haukalo comparatis,

dis, tot et tanta defectus indicia occurrant, quot et quanta supra obvia fuerunt, et qualia a nobis, utrumque librum pervolventibus, ubivis fuere animadversa. Fatemur equidem auctores orientales fortasse non adeo accuratam epitomis conficiendis operam tribuisse, ac res ipsa requirat, adeoque hic illic in epitome errores vel emendationes, defectus vel etiam additamenta inveniri posse, quae ipsi operi primario desint; sed talia vitia in G. O., si haec epitome operis Ibn Haukeli haberetur, tantopere fuissent accumulata, ut non epitome, sed aliud potius novumque opus dicendum foret. Aliam igitur de isto libro sententiam proponendam esse putamus, quae ejusmodi difficultatibus non laboret, neque etiam temporum rationibus, nostrae opinioni tantopere faventibus, repugnet, et quae vinculi, quod alterum opus cum altero conjungit, rationem habeat. Nexum enim arctissimum inter G. O. et Ibn Haukalum adesse quis neget, qui loca tam ab Ouseleyo quam a Sacyo, praecipue in classe prima relata, perlustret? Atque ejusmodi intimi nexus specimina plurima, imprimis ex parte postrema utriusque libri petita proferre possemus; ut taceamus universum amborum operum habitum, et ordinem, unum esse et per omnia sibi similem. Talia utique observanda sunt, si probabilem de auctore Geographiae Orientalis sententiam proferre velimus. Quod antequam facere aggrediamur, peropportune hoc loco mentio injicienda est alius Codicis Persici, veram exhibentis Haukalidae versionem, cujus specimina quaedam cum G. O. et Ibn Haukalo comparata nostram de ea sententiam quam maxime firment et corroborent.

Ouseleyus V. Illust. in Tomo primo nuperrime editi operis inscripti: *Travels in various countries of the East*, cet. passim memorat codicem Persicum, quem *Sur al Beldan* vocat, et versionem esse affirmat operis Geographici Ibn Haukali, multo tamen antiquiorem illâ et perfectiorem, quam viginti abhinc annis Anglice transtulerat. Sexcenta afferri posse exempla dicit, e quibus appareat Sur al Beldan, et Mesalek u Memalek (Geographiam Orientalem) a diversis auctoribus ex uno eodemque Ibn Haukali opere fuisse conversas. Unum ejusmodi affert exemplum p. 328 in nota, ubi de Mare Persico sequentia referre dicit Mesalek u Memalek: ودرازي وپهناي دريای پارس عظیمتر است ودر اخر دریاي پارس زمين چين است تا دریاي قلزم, quae verba hoc modo in G. O. p. 6 transtulerat: *The Persian Sea is more extensive (than the Mediterranean) in length and breadth, reaching to the land of Cheen and to the Sea of Kolzum:* in MS. vero Sur al Beldan eadem hoc modo legi: ودریاي پارس بزرکتر وپهنتر از درياي روم است جهت انلك حدود دریاي پارس از چين تا قلزم است quae verba significant: *and the Sea of Pars is greater and wider than the Sea of Rum (the Mediterranean) because the limits of the Sea of Pars are from the confines of Chin to Kolzum.*

Haec loca, etsi idem significent, verbis tamen multum a se invicem differunt. Quod si vero uterque codex versio sit operis Ibn Haukali, liber Sur al Beldan fideliorem certe translationem continet, nam Ibn Haukal cod. p. 5. v. 10 dicit duo esse maria praecipua, Persicum et Graecum sive Mediterraneum, dein sequentia addit: وافسحها طولا وعرضا بحر فارس وحد بحر فارس من حد الصين الي القلزم, *Horum amplissimum longitudine et latitudine est mare Persicum; nam limites maris Persici sese extendunt inde a confiniis Sinae usque ad Kolzom.* Quae verba multo magis respondent iis quae Sur al Beldan, quam quae Mesalek u Memalek retulit. Jam quominus Mesalek u Memalek versionem Ibn Haukali habeamus, impedit etiam vera versio Sur al Beldan. Nam licet diversi auctores, in eodem libro vertendo occupati, a se invicem verbis differant, sensus tamen in omnibus idem sit necesse est; nec tanta, tum verborum tum rerum, spectabitur dissimilitudo, quantam in his codicibus inter se et cum nostro Arabico collatis deteximus. Qua de re ut alii etiam judicent, loca quaedam describemus.

In G. O. (seu Mesalek u Memalek) p. 95. legimus: *there is not any district of this Province* (Pars), *nor any village, without a Fire-temple;* quem locum Ouseley I. l. p. 143 in Sur al Beldan hunc in modum amplificatum dicit: اتش خانها پارس از ان بيشترست كه در عد وحد محصور ومقصور تواند بود اما هيچ ديهي وروستايي نباشد الا كه در ان البته اتش خانها بسيار باشد الا ما شاء الله, *The fire-tempels of Pars are more than can be comprehended within the bounds of enumeration: for there is not even a village, nor a hamlet, forsooth, without many fire-temples. But the will of God be done.* Apud Ibn Haukalum cod. p. 96. v. 7. legimus: واما بيوت نيرانها فتكثر ايضا ويعجز علمها من غير الديوان اذ ليس من بلد ولا رستاق ولا ناحية الا وبها عدد كثير من بيوت النيران, *Templa ignis cultui consecrata etiam valde multa sunt; nec possunt cognosci nisi ex codicibus rationum publicis: nulla enim est regio, nullus vicus, nullus tractus, in quo non sit ingens numerus ejusmodi templorum.* Quae vero in S. a B. adduntur الا ما شاء الله, in nostro desiderantur, et fortasse translatori adscribenda sunt. Similiter non inveni quae in S. a B. tribus paginis interjectis reperiuntur, ibid. laud. ab Ouseleyo, وبيشتر در انجا كبر مي باشند وازين اتش كدها خانها چند هست كه انرا از ديگران تعظيم وتوقير بيشتر مي دارند, *In this province the Gabrs most abound; and of their Fire-temples, some are greater and more esteemed than others* (78). Interim fieri potest ut sive in longiore Persidis descriptione meos oculos locus effugerit, aut huc ex parte perti-

(78) Potius: *Some are more esteemed and revered than others.* H.

tineant verba illis de ignicolarum templis, quae superius laudavimus, statim subjecta: غير ان المشاهير التي يفضلونها علي غيرها في التعظيم منها, *Nisi quod ex celebrioribus, quae ut reliquis excellentiora impensius venerantur, haec sunt:*

Quam in G. O. p. 138 occurrere dicit Ouseley l. l. p. 156 in nota, mentionem Djarouni, in Sur al Beldan vero deësse, ea nec apud Ibn Haukalum in descriptione Kirmanae invenitur.

In Ibn Haukali codice p. 99. v. 5. legimus: سيراف وهي تقارب شيراز في الكبر وبناهم بالساج والخشب يحمل من بلاد الزنج, *Siraf magnitudine fere aequat Schirazum. Ejus domus confectae sunt ex platano et ligno quod affertur ex Zindjitarum regionibus.* Haec plane conveniunt cum iis quae Ouseley l. l. p. 175 ex Sur al Beldan descripsit: وبناء خانها ايشان غالب از چوبي كه انرا از زنكبار نقل مي كنند, *and their houses are chiefly constructed of wood, which they import from Zanghar.* In G. O. nihil horum exstat.

Ibn Haukal, cod. p. 95. v. 9 extr. haec refert: وسمعت غير رييس يذكر ان بفارس زيادة علي خمسة الاف قلعة منفردة في جبالها, *Audivi complures* (79) *narrantes in Perside esse ultra quinque millia castellorum, in ejus montibus separatim exstructorum.* Et mox; ولا يمكن تقفي ذلك الا من الدواوين, *haec vero indagari non possunt nisi ex codicibus publicis.* Ex quibus inter se compositis fluxerunt sequentia in S. a. B. در بعضي از ايام شمرده شده است در دواوين حساب پنج هزار قلعة بوده است, quae sic vertit Ouseley l. l. p. 266, *Their number was once ascertained from the publick registers, and it amounted to five thousand.* G. vero O. p. 94 *quinque* tantum commemorat castella: *and I have heard that in the province of Pars there are more than five celebrated castles, situated in towns and on hills.*

Ouseley l. l. p. 280. „*the Manuscript S. a. B.*" inquit, „(*in a passage comprising difficulties, which I shall not here stop to discuss*), *gives the name of Gaaw Ser* (گاوسر) *or bull-headed to a Fire-temple, existing at this place* (*Shapour*) *in the tenth century, and called according to the printed work of E. H.* (كاوش) *Gawsh* or *Kawsh.*" Noster Codex p. 96. v. 11. neutri lectioni favet: وبيت نار ايضا علي باب سابور محاذ لباب ساسان يعرف بخنبذ كلوشن, *Et templum ignis etiam ad portam Sabouri e regione portae Sasani, quod notum est nomine fornicis Kelouschen.*

Geo-

(79) غير رييس loquendi formam obscuriorem synonymam censeo τῷ غير واحد. Quippe رييس fere synonymum est τῷ راس, quae vox nonnumquam de hominibus vel animalibus separatim sumtis usurpatur. Sic nostrates: *hoofd voor hoofd*, 400 *koppen*, etc. H.

Geographia Orientalis p. 146. sequentia memorat: *In Pars there are Fire-Worshippers, or Guebres, and Christians and some Jews.* — Hunc locum ampliorem habet Sur al Beldan (Ouseley l. l. p. 299. in nota) واما دينها ايشان أول در ديار پارس جهود وترسا وكبر مي باشند وصابي وسامري نيز هست, *But concerning their religions: first there are in the land of Pars, Jews, and Christians, and Gabrs or Fire-Worshippers: and there are likewise Sabians and Samaritans.* Ibn Haukal p. 103. v. 3. وفيهم (اهل الفرس) اليهود والنصاري والمجوس وليس فيهم صابي ولا سامري, *Inter eos sunt Judaei, Christiani, et Magi; non vero Sabaei nec Samaritani.* Discrepantia inter Sur al Beldan et Ibn Haukalum tollitur, si pro نيز هست *etiam est*, legas نيست, vel ut magis ad vulgatam accedat, ني هست *non est.*

In G. O. p. 155 habemus: *of the Mihran it is said that the source is the river Jihoun.* Ouseley l. l. p. 331 observat in S. a. B. fontem fluvii Mihran collocari „*to the back of a certain mountain, from which proceed some of the streams or fountains of the River Iaihun*, اين رود از پشت كوهي بيرون مي ايد كه بعضي از جويها جيحون ازانجا منفجر ومستنبط مي شود. Porro animadvertit in G. O. Mihranum, propter aquas nunc exundantes nunc decrescentes, uti et crocodilos, cum Nilo comparari; hanc vero comparationem in S. a. B. amplificari, et extendi etiam ad magnitudinem et cursus vehementiam: Mihranum aeque ac Nilum ripas suas statis temporibus excedere, et foecundare terram frugum proventu felicem, quae ut in Aegypto colantur, ودران زمين زراعت مي كنند چنانك در زمين مصر. En eundem locum ex Ibn Haukalo p. 106. v. 5. extr. نهر مهران ومخرجه من ظهر جبل يخرج منه بعض انهار جيحون — وهو نهر كبير عذب جدا ويقال ان فيه تماسيح كتماسيح النيل وهو كالنيل في الكبر وجريه كجريه بماء المطر الصيفي يرتفع علي وجه الارض ثم ينضب فيزرع عليه حسب ما يزرع بارض مصر, *Fluvius Mihran oritur ex jugo montis, ex quo decurrunt quidam fluviorum Djihouni. — Hic fluvius est magnus et valde dulcis, et continere dicitur crocodilos, instar crocodilorum Nili, cui similis est tum magnitudine tum aquarum cursu. Nam imbribus aestivis auctus ripas suas excedit, seseque supra terram effundit, in qua dein sementem faciunt, prouti fit in terra Aegypti.*

Denique Ouseley l. l. p. 339 ex S. a. B. alium locum citat: واين معدن از نزديك سواد مصر مي كشد تا بده منزل بكوشكي كه بر كنارهٔ دريا موضوع است وانرا عندان مي كويند *And these mines* (of Aredz al Mardan) *extend from the vicinity of the Suwad of Mizr, or Egypt, the space of ten manzels or days journies to a certain castle on the Sea coast, at a place called Andan.* Cum hoc loco tum G. O. tum Ibn Haukal egregie convenit. Etenim G. O. p. 13 habet: *in it* (Bajeh) *are gold-mines, which extend from near*

near the borders of Egypt to a certain castle on the Sea coast, which they call Assat at a distance of about ten merhileh. Ibn Haukal p. 20. v. 6 extr. *Sita est*, inquit, *Badja inter Habessiniam, Nubiam, Aegyptum, et terram aurifodinarum* وياخذها المعدن تمس قرب اسوان علي ارض مصر علي نحو من عشر مراحل حتي ينتهي الي حصن علي البحر يسمي عيذاب, *Et fodina, inde a vicinia Asouanae juxta terram Aegypti per decem circiter stationes, in isto tractu obtinet, usque ad castellum prope Mare Aidzab dictum* (80).

Ex collatis locis satis intelligitur quanto major inter Sur al Beldan et Ibn Haukalum intercedat necessitudo, quam inter hunc et Mesalek u Memalek; ita quidem, ut, si ex paucis exemplis de toto opere judicium ferre liceat, illud absolutam et perfectam Geographiae Ibn Haukali versionem continere videatur: cum ab altera parte ex omnibus, quae huc usque in medium protulimus, testimoniis, abunde constet, Geographiae Orientali, si per temporum rationem versio vel epitome operis Ibn Haukali esse posset, principem inter pessimas versiones vel epitomas locum tribuendum fore. Hoc autem crimine Geographiam Orientalem facile absolvere poterimus, si nempe contrariam de ea sequamur sententiam, temporumque rationibus magis consentaneam. Hoc igitur nostrum de Orientali Geographia judicium exponendum, et nexus, qui inter eam et Ibn Haukali Geographiam observatur, causa nunc denique indicanda et explicanda est.

Omnes difficultates tolluntur, si Geographiam Orientalem non ex Ibn Haukalo tamquam fonte primario originem suam duxisse, sed hunc potius ex ista profecisse statuamus, ita ut, Ibn Haukalus in suo componendo opere hanc tamquam exemplar maxime secutus sit, hujusque ab alio auctore dudum Persica lingua compositae novam Arabicam, eamque auctam, correctam, suisque temporibus accommodatam editionem adornaverit. Sic enim optime intelligitur, cur recentioris aetatis indicia in Ibn Haukalo appareant; cur idem vocabula Persica nonnumquam retinuerit (81), cur etiam in mul-

---

(80) Quod in nostro codice legitur عيذاب, id jam olim reposuerat Sacyus l. l. p. 156 pro *Assat*, at in Geogr. Orient. scripserat Ouseleyus, qui nunc incerta vocis scriptione kerum deceptus edidit *Andan*. Lex. Geogr. MS. عيذاب بالفتح ثم السكون وذال معجمة واخره باء موحدة بليدة علي ساحل بحر القلزم وهي مرسي المراكب التي تقدم من عدن الي الصعيد ومنها تعدي الي حده (جده l.) *Aidzab cum phatha, Te quiescente, Dzal et ultima Be, oppidum in litore maris Kolzom. Est portus navium quae Adana in Aegyptum superiorem proficiscuntur et hinc transeunt Djiddam.* Porro quoque in Ibn Haukalo recte scriptum est اسوان, quod facili lapsu in Sur al Beldan corruptum est in سوان

(81) Veluti تهندز, cf. sup. pag. 21 in nota, et passim; nec non شهر cf. pag. 44.

multis sit uberior, in aliis Geographiae Orientali obloquatur, cur denique in nonnullis decessoris sui vestigia premens ea etiam referat, quae ex sua persona numquam tradere potuisset (82). Hanc igitur opinionem, quae sola probabilem dat explicationem nexûs inter opus Persicum et Arabicum, et praeterea iis quae breviter enumeravimus, argumentis nititur, si admittamus, sponte ad alteram illam sententiam delabemur, Geographiam Orientalem esse opus Abd-allae ibn Khordadbeh. Quod enim primum est, Ibn Haukalum opus Ibn Khordadbehi sequi potuisse, ex eo apparet quod Ibn Khordadbeh nisi nostro antiquior, at aequalis certe illius fuit. Herbelotius duplici loco, v. *Khordadbah* et *Tarikh Ebn Khordadbah* eum mortuum esse dicit A. H. 300 (Chr. 912—3), quam temporis notam perperam derivasse videtur ex Hadji Khalifae Lexico Bibliographico v. تاريخ ابن خردادبه, ubi hunc auctorem decessisse affirmat في حدود الثلثماية, quae verba ob articulum nomini numerali praefixum, non de *anno trecentesimo*, sed de *seculo quarto vertente* intelligenda sunt. Sic Abulfeda A. M. T. II. p. 834 di-

(82) Ibn Haukalum aliquando antiquioris auctoris, quem non diserte memorat, verba descripsisse, supra jam vidimus, ubi de inscriptione in porta Samarcandae sermo fuit. Cf. sup. pag. 23 in nota. Hoc loco alterum hujus rei exemplum afferre liceat. In Descriptione regionum Mari Khozarorum adjacentium, cod. p. 146. v. 10. ubi de forma imperii apud Khozaros aliosque agit, sequentia refert: ولقد اخبرني من اثق به انه راي في اسواقهم شابا يبيع الخبز وكانوا يقولون اذ هلك خاقانهم فليس احد احق بالخاقانية منه الا انه كان مسلما قال ولا يعقد الخاقانية الا اليهود *Narravit mihi quidam, cui fidem habeo, se vidisse in ipsorum foris juvenem qui panem venderet, illosque dixisse: si ipsorum Khakan defunctus esset, neminem hoc juvene, (nisi Moslemus esset), digniorem fore, qui ipsi succederet. Nemo enim, inquit, nisi Judaeus, apud eos principatum tenere potest.* Fatemur haec ita ab Ibn Haukalo esse proposita, ut auctorem, a quo haec acceperit, non quidem diserte nominare, sed tamen laudare videatur. Neminem tamen futurum esse arbitramur, qui locum ita intelligat, postquam eandem narrationem in Geographia Orientali pag. 189 et seq. iisdem paene verbis conceptam legerit: *And I have heard from persons worthy of belief, that a certain young man used to sit in a little shop at the public market-place, selling petty articles; and that the people used to say, „When the present Khacan shall have departed, this man will succeed to the throne." But the young man was a Musulman, and they give the Khacanship only to Jews.* Quis non videt hujus loci, et superioris illius p. 23 laudati, unam eandemque esse rationem? Quemadmodum illic dixit رايت *vidi*, non quia ipse viderat, sed quia Geographiae Orientalis auctor, e quo sua hausit, inscriptionem a se conspectam esse dixerat, sic h. l. scripsit اخبرني من اثق به, *narravit mihi quidam cui fidem habeo*, etc., quia eadem verba a Geographiae Orientalis auctore usurpata fuerant.

dicit على راس المائة et على راس الثلثمائة et T. III. p. 38. على راس الخمسمائة de *Seculi* II, IV et VI *initiis*. Quousque Ibn Khordadbeh vitam suam produxerit ex aliis testimoniis accuratius definire non possumus. Hoc vero certo scimus, illius operi geographico, quod ab alio historico bene distinguendum est, titulum fuisse illum, Geographiae quoque Orientali praefixum, *Mesâlek wa Memâlek*, quo nomine non tantum ab Hadji Khalifa, loco in hujus disputationis initio descripto, laudatur, sed etiam a Mesoudio Seculi IV scriptore, cujus de Ibn Khordadbeho testimonium, in praefatione operis sui مروج الذهب ومعدن الجوهر proditum, hic describemus (83): عبيد الله بن عبد الله بن خرداذبه فانه كان اماما في التاليف مطبوعا (84) في ملاحة التصنيف اتبعه من بعده (85) واخذ منه ووطي علي عقبه وقفا (86) اثره واذا اردت ان تعلم صحة ذلك فانظر الي كتابه الكبير (87) التاريخ فانه اجمع هذه الكتب جدا وابدعها نظما واكثرها علما واحوي لاخبار الامم وملوكها وسيرها من الاعاجم وغيرهم (88) ومن كتبه النفيسة كتابه (89) في المسالك والممالك (90) وغيره مما (91) اذا طلبته وجدته واذا (92) تفقدته احمدته, *Obeid-allah ibn Abd-allah ibn Khordadzbeh fuit princeps in componendis libris, et quasi a natura factus ad scribendi elegantiam. Hunc, qui postea exstiterunt, imitati sunt, et eadem qua ipse via progressi ejus vestigia presserunt. Cujus rei veritatem si cognoscere cupias, inspice ejus librum magnum, Chronicon appellatum, qui inter reliquos illius generis libros et laboris sedulitate, et carminum, quibus ornatus est, elegantia, et doctrinae magnitudine, praestantissimus est, et complectitur tam populorum quam regum res gestas moresque Persarum aliorumque. Inter libros ejus eximios liber est de viis et regnis, et alii praeterea. Quos si quaesiveris invenies, et si accurate inspexeris, laudabis.* Hoc igitur si scriptum esse teneas circa A. 336 (Chr. 947—8), ad quem usque annum Mesoudius Khalifarum historiam perduxit (93), necessario sequitur Ibn Khordadbehum ante Ibn Haukalum scripsisse, quippe quem A. 366 vel 367 (Chr. 976—7 vel 977—8) librum suum perfecisse demonstravimus. Porro in codicis nostri titulo diserte legimus Ibn Haukalum in suo opere colligendo et componendo nixum esse (يعول) Ibn

(83) Codices MSS. n. 1732 (537) et n. 1730 (282), ex quibus haec transtulimus, descriptos vide in *Spec. Cat. MSS. B. L. B.* p. 46. Ex priori codice locum descripsimus, alterius diversitates in notis subjecimus. (84) n. 282. مختنوعا. (85) Id. pro بعده habet طريقته هذه. (86) Id. فقفي. (87) Id. addit في. (88) Ibid. وغيرها. (89) Ibid. كتابه deëst. (90) Id. pro والممالك habet والمهالك. (91) Ibid. وغير ذلك مما. (92) Id. وان.

(93) Vid. *Spec.* jam saepius cit. l. l.

Ibn Khordadbehi auctoritate, idque ex eo firmatur testimonium, quod tum in ipsa praefatione, tum alibi, hujus scriptoris mentionem fecit. Haec omnia verisimillimam reddunt opinionem, qua statuitur Geographiam Orientalem, cum Ibn Haukali opere antiquior sit, et per temporum rationem Ibn Khordadbehum auctorem habere potuerit, cumque magnam habeat cum Geographia Ibn Haukali similitudinem, non esse nisi ipsum illud كتاب المسالك والممالك (الى الممالك sive), quod sub hoc titulo Mesoudius et Hadji Khalifa ad Obeid-allam sive Abd.-allam Ibn Khordadbeh auctorem retulerunt.

Cui opinioni ut majorem fidem faciamus, hic locum ex nostro codice petitum dabimus, quem bona sors nobis obtulit, egregie nostrae sententiae faventem.

Ad finem descriptionis regionis Sind, cod. p. 107. vs. 6 sqq., sic breviter de se suisque rebus exponit Ibn Haukalus وقد انتهينا في حد المشرق الي اخر حدود الاسلام ولم تُقصر ان شاء الله فيما قصدناه ولا اعلمني توخيت فيه زيادة لتجمل ولا نقصا لناحية بازرآء وتقوّل وكان اكثر ما حداني علي هذا الكتاب وتاليفه علي هذه الصورة اني كنت في حال الحداثة شغفا باخبار البلدان والوقوف علي حال الامصار كثير الاستعلام والاستخبار لسافرة النواحي ووكلآء التجار وقراة الكتب المولفة فيها وكنت اذا لقيت الرجل الذي اظنه صادقا واخاله يما اساله عنه خبيرا فاجده عالما عند اعادة الخبر الذي اعتقد فيه صدقه وقد حفظت نسقه وتأملت طرقه ووصفه واكثر ذلك باطلا واري الحاكي باكثر ما حكاه جاهلا ثم اعاوده الخبر الذي التمسه منه والذكر لتسمع (؟) للذي استوصفته واطالع معه ما صدر مع غيره في ذلك بعد روية واجمع بينهما وبين حكاية ثالث بالعدل والسوية فتتنافر الاقوال وتتنافي الحكايات وكان ذلك داعية الي ما كنت احسه في نفسي بالقوة علي الاسفار وركوب الاخطار ومحبة تصوير المدن وكيفية مواقع الامصار وتجاوز الاقاليم والاصقاع وكان لا يفارقني كتاب ابن خردادبه وكتاب الجيهاني وتذكرة ابي الفرج قدامة ابن (بن .l) جعفر واذا الكتابان الاولان قد لزمني ان استغفر الله من حملهما واشتغالي بهما عن ما يلزمني من توخي العلوم النافعة والسنن الواجبة ولقيت ابا اسحق الفارسي وقد صور هذه الصورة لارض السند فخلطها وصور فارس فجودها وكنت قد صورت اذربيجان التي في هذه الصفة فاستحسنها والجزيرة فاستجادها واخرج التي لمصر فاسدة وللمغرب اكثرها خطاء وقال قد نظرت في مولدك واثرك وانا اسالك الصلاح كتابي هذا حيث حللت فاصلحت منه غير شكل وعزوته اليه ثم رايت ان انفرد بهذا الكتاب واصلاحه وتصويره اجمعه وايضاحه من غير ان أُلمّ بتذكرة ابي الفرج وان كانت حقّا باجمعها وصدقا من ساير جهاتها وقد كان يجب ان اذكر منها طرفا في هذا الكتاب لكن استقبحت الاستكثار بما تعب فيه سواي ونصب فيه غيري.

Jam

Jam pervenimus ad extremos ditionis Islamiticae terminos orientales. Neque Deo favente impares negotio, quod nobis proposueramus, perficiendo fuimus, neque mihi conscius sum (?) in eo, quod agendum susceperam, aut ornatus gratia aliquid addidisse, aut regionum descriptioni, sive minus quam oportuerat dicendo, sive mendacia referendo, quidquam detraxisse. Quod autem maxime me incitavit ad librum hujus argumenti componendum, fuit juvenis adhuc amor et studium cognoscendi historias regionum et conditiones civitatum, et (idcirco) *multiplex instituta inquisitio et interrogatio tam itineratorum, qui varios tractus viderant, quam procuratorum mercaturae, et lectio librorum hac de re conscriptorum. Etenim, quandocumque aliquem obviam haberem, quem putabam veridicum, et eorum, de quibus apud ipsum inquirere volebam, peritum, quemque adeo crebris interrogationibus petitum earum rerum intelligentem me inventurum esse existimabam, in quibus veracitati ipsius confidissem, illius orationem ordine memoriae mandabam, et seriem rerum, quas descripserat, attente considerabam. Sed saepissime haec vana fuere; vidi enim qui multarum rerum, quas narrabant, essent imperiti. Deinde narrationem, quam ab ipso acceperam, et memoriam famamque rerum, quarum descriptionem ab eo flagitaveram, ex eodem iterum viro exquisivi, et accurate expensam cum eo conferebam, quod ab alio de eadem re erat profectum: sic duo haec testimonia tum inter se, tum cum alio tertio, ex aequo et bono comparabam; at narrationes adeo se invicem oppugnabant, ut altera alteram tolleret. Hoc igitur stimulos addidit interno animi robori, quo me ad itinera instituenda et pericula subeunda, nec non ad urbium provinciarumque formas describendi studium, et regiones variasque terras permeandas impelli sentiebam.* (Quo in itinere) *libros Ibn Khordadbehi, Al Djihanii, et Abou'l Faradj Kodamae ibn Djafar numquam de manibus deponebam. Jam quod ad duos priores attinet, oportet me a Deo veniam petere, quoniam eos mecum tuli, siquidem me a studio scientiarum utilium et legum necessariarum averterunt. Occurri autem aliquando Abou Ishako al Faresio, qui tabulam Geographicam regionis Sind, at corruptam, egregiam vero Persidis confecerat. Hic tabulam Adzerbeidjanae, quae mox in hac descriptione exstat, aliamque Mesopotamiae pariter a me confectam summis laudibus extulit. At tabulam Aegypti, quippe vitiosam, aliamque Africae, majoribus etiam vitiis inquinatam, rejecit, dixitque: equidem nativitatis tuae tempus et bonae indolis vestigia in te considerans, te rogo ut hunc meum librum emendes ubicumque lieitum fecero. Tum ego istum variis modis correxi, Abou Ishako tamquam auctori relinquens. Dein ad hoc opus unice me applicare, ejusque correctionem formamque omnem et expositionem sequi, neque ad commentationem Abou'l Faradji amplius me conferre constitui, quamvis ista in universum vera sit, et ab omni parte fidem mereatur. Quamvis enim necesse fuit ut ex ea interdum aliquid in hunc librum referrem, turpe tamen*

men

men judico illis frequenter uti, in quibus alii praeter me elaborarunt et occupati fuerunt.

Ex hoc igitur loco apparet tanti fecisse Ibn Haukalum opera Ibn Khordadbehi, Al Djihanii et Abou'l Faradji, ut ea in suo itinere semper secum tulerit, et per duo priora a studiis gravioribus (Corani et Sonnae ut videtur) prohibitus fuerit. Abou Ishakus al Faresius autem quis fuerit, cum alia indicia non prodant, ex hoc ipso loco felicissime effecit Hamakerus V. C. Nimirum cum iste Abou Ishakus Ibn Haukalum rogasset ut hunc suum librum, quo postea unice usus est noster, vitiis purgaret, atque in praecedentibus de nullis aliis libris sermo sit, praeter eos qui Ibn Khordadbehum, Al Djihanium et Abou'l Faradjum auctores habent, ex duobus prioribus hic alterutrum significari necesse est, cum ipse Ibn Haukalus Abou'l Faradjum excipiat. Cum vero nomen gentile الفارسي Abou Ishako additum indicet illum vel ex Perside oriundum esse, vel ibi aliquamdiu degisse, atque nomen Khordadbeh certissime Persicum sit (94), de Al Djihanii denique patria, aetate, scriptis nihil constet, vix dubium est quin iste Abou Ishakus al Faresius, sit ipse Ibn Khordadbeh (95). Quod si verum sit, omnia plana sunt. Nempe Ibn Khordadbeh opus Geographicum conscripsit

Rer-

---

(94) خرداذبه pro خوردادبه est compositum ex nomine mensis Maji, sive Angeli hujus mensis curam gerentis, quod *Solis datorem* notat, et به *bonus;* quod epitheton optime convenit personae mythicae ad Magicam religionem pertinenti. به enim illud imprimis Magismum sapere egregie docuit Ouseley *Travels* T. I. p. 114 seqq. Quod autem Ibn Khordadbeh hic Abou Ishak, in titulo operis Ibn Haukali Abou'l Kasem appellatur, id vel duplici praenomini, quod multi habuere, adscribendum, vel librario, qui Abou'l Kasem, Ibn Haukali praenomen paullo ante exaratum, hic in nomine Ibn Khordadbehi calami lapsu repetivit. H.

(95) De Abou'l Faradjo, quem A. 337 (Chr. 948—9) mortuum refert Abou'l Mahasen MS. L. B. n. 636, haec habet Mesoudius in praef. operis sup. cit. ابو الفرج قدامة بن جعفر الكاتب فانه كان حسن التاليف بارع (n. 282. بادع) التصنيف موجز (n. 282. موجد) الالفاظ مقربا (n. 282. معربا) للمعاني واذا (n. 282. فاذا) اردت علم ذلك فانظر الي (n. 282. في) كتابه في الاخبار المعروف بكتاب زهر الربيع واشرف علي كتابه المترجم بكتاب الخراج, *Abou'l Faradj Kodamah ibn Djafar al Katib pulcros et egregios libros composuit, verborum parcus, sententiis nobilis. Cujus rei si testimonium desideras, inspice ejus librum de historiis, notum titulo Floris Verni; et adi alterum ejus librum, qui Interpretationem libri de Reditibus* (ab Imamo Abou Yousefo Hanefita conscripti) *continet.* — الجيهاني *Al Djihani* fortasse non differt ab الجهيني *Al Djahinio* Geographo, quem supra ex Hadji Khalifa memoravimus. Hujus autem praenomen non est Abou Ishak, sed Abou Abd-allah.

Persicum. Hoc Ibn Haukalus, dum ditionem Moslemicam peragravit, secum tulit, quo tamquam duce uteretur, tam in itineribus suis instituendis, quam iisdem enarrandis. Hinc in utroque opere formae similitudo et multarum narrationum convenientia facillime oriri potuerunt. At Ibn Haukalus, quippe qui aliquamdiu post editum opus Ibn Khordadbehi iter suum instituit, varia vidit mutata. Hinc necessario alter ab altero passim discrepare debuit. Postremo Ibn Haukalus, qui hucusque aliis etiam libris Geographicis usus erat, consilium iniit opere Ibn Khordadbehi solo utendi. Itaque major adhuc ab eo inde loco, ubi hoc institutum suum prodidit, ad finem usque libri inter utrumque consensus debet existere. Haec si adhibeantur ad Geographiam Orientalem, nostrumque Ibn Haukali codicem, nostram thesin, qua Geographiam Orientalem esse ipsum opus Ibn Khordadbehi statuimus, nisi certam, at valde tamen verisimilem faciunt. Universe enim, praesertim quoad formam et partium distributionem, Ibn Haukalus cum Geographia Orientali (ut mox apparebit), convenit. Magnum etiam singularum partium agnoscimus inter utrumque consensum; at vero etiam plurimas discrepantias, et apud nostrum quidem correctiones et additamenta. Hoc loca superius adscripta abunde demonstrarunt. Denique quo magis utrumque opus ad finem vergit, eo major nobis apparuit amborum conspiratio, Geographicis, qualia ab Ibn Khordadbeho tradita fuerant, servatis, Historicis vero ut plurimum mutatis, et ad tempus, quo scripsit Ibn Haukalus, accommodatis.

His igitur argumentis moti nobis persuasimus, librum Persicum esse opus Abou Ishaki al Faresii, seu Obeid-ollae ibn Khordadbeh. Nostri autem vim ratiocinii quam maxime auget ultimum quod adjungimus argumentum, testimonium continens ab Ibn Haukalo ex Abou Ishako al Faresio petitum, quod idem in Geographia Orientali totidem verbis descriptum legitur. Ibn Haukalus scilicet cod. p. 6. v. 11 sequentia refert: ومملكة الصين علي ما زعم ابو اسحق الفارسي وابو اسحق ابرهيم بن البنكين حاجب صاحب خراسان اربعة اشهر في ثلاثة اشهر فاذا اخذت من فم الخليج حتي تنتهي الي ديار الاسلام مما وزا النهر فهو نحو ثلثة اشهر واذا اخذت من حد المشرق حتي تقطع الي حد المغرب في ارض التبت وتمتد في ارض التغزغز وخرخيز وعلي ظهر كيماك الي البحر فهو نحو اربعة اشهر, *Regnum Sinense, secundum ea quae referunt Abou Ishakus al Faresi et Abou Ishak Ibrahim ibn al Bankin, principis Khorasanae cubicularius, tres menses longum est et quatuor latum. Scilicet quando incipis ab initio sinûs* (Sinensis), *et procedis usque ad ditionem Islamiticam a parte Mawaralnahrae, spatium est trium circiter mensium; et quando incipis ab extremo fine orientali et pergis usque ad extremum terminum occidentalem per regionem Tibeti, Tagzagzi, Kharkhizi, et per loca Kaymakae usque ad mare, spatium hoc erit quatuor*

 se-

fere mensium. Geographia vero Orientalis eadem sic habet p. 9: *The empire of Cheen extends, in length, a distance of four months journey; and in breadth, three. And when one comes from the mouth of the bay or gulph to the land of the Musulmans, the borders of Mauweralnahr, (Transoxania), it is a journey of three months. And when one comes from the east, and wishes to proceed to the west, by the land of the Nubians* (l. of Tibet), *and the land of Khurkhiz, and of Ghurghez, and by Kaimak to the Sea, it is a journey of about four months.* Jam quo minus nobis objiciatur, ipsa verba loci ab Ibn Haukalo fortasse ex opere Ibrahimi ibn al Bankin fuisse descripta, adeoque librum Persicum ad hunc referendum esse auctorem, obstant cetera allata argumenta, quae omnia, ut vidimus, ostendunt librum illum ab Abou Ishako al Faresio fuisse compositum. Igitur jure statui posse nobis videtur Ibn Haukalum h. l. Abou Ishaki al Faresii verba descripsisse, atque ideo tantum mentionem Ibrahimi injecisse, quo hunc idem dedisse testimonium significaret. Habemus itaque veram ex Abou Ishaki al Faresii opere citationem, quae quoniam perfecte cum Geographia Orientali consentit, nullum dubium est, quin haec, adeoque liber Persicus, opus contineat Abou Ishaki al Faresii seu Obeid-ollae Ibn Khordadbeh (96).

Rationes jam habes L. B. et argumenta, quibus satis superque nostram de libro Persico sententiam probari posse censemus. Nec tamen ante ab hac materia discedendum est, quam breviter exposuerimus de duobus codicibus MSS. Geographicis non satis ac-

(96) Quisnam iste Abou Ishakus Ibrahimus ibn al Bankin sit, latet. Herbelotius, v. *Abou Ishak al Farsi*, hunc eundem facit cum Ibrahimo ibn al Meskin, eodem illo, ut videtur, de quo hic agimus; sed unde hoc effecerit V. C. non addidit. An forte, ut ipse indicare videtur, ex Ibn al Wardii Praefatione ad opus suum Geographicum? Sed ibi, in nostro saltem codice, (cod. L. B. n. 1701 (158) p. 10 extr.) eadem prorsus verba occurrunt, quae ex Ibn Haukalo descripsimus; nec ego sane video, quo modo inde pateat Abou Ishakum al Faresium eundem esse ac Abou Ishakum Ibrahimum ibn al Bankin. Quantopere autem Herbelotius in iis erraverit, quae de Abou Ishako al Farsi, vel, si mavis, de Ibrahimo ibn Al Meskin, retulit, apparet ex coll. v. *Sin*, ubi Ibrahimum, quem priori loco aulicum regis Khorasanae fuisse dixerat, regis cujusdam Sinae ministrum facit, Djinghizkhani successoribus imperium tenentibus. Unde sequeretur Ibn Haukalum Seculo IV eum laudasse, qui Seculo VII demum floruit. Ceterum diversum esse Ibrahimum ibn al Bankin ab Abou Ishako al Faresio etiam hoc demonstrat, quod Ibn Haukalus, haud multo post locum citatum, alia refert ex Ibrahimi ibn al Bankin commentariis derivata, quae in Geographia Orientali non inveniuntur. Est illud testimonium sequens cod. p. 6. v. 20: ولم الق احدا اخبر بهم (يأجوج) من ابي اسحق ابرهيم بن البنكين حاجب صاحب خراسان فاخبرني انه تجاراتهم

accurate cognitis, quorum auctores quales fuerint et quando vixerint nondum certo definiri potuit. Quod eo lubentius faciemus, quoniam spes nobis est fore, ut quae de Ibn Haukalo, et Abou Ishako al Faresio, seu Obeid-alla ibn Khordadbeh, disputavimus, lucem rei incertae sint allatura, dum nostra vicissim de iisdem ratiocinatio mirum in modum ex horum librorum cum nostris codicibus comparatione confirmetur.

Cum enim hucusque nostra jam esset progressa disputatio, forte fortuna incidimus in Kosegarteni V. C. libellum *de Mohammede Ibn Batuta Tingitano*, in quo p. 25 sqq. mentio fit duorum operum Geographicorum MSS. Bibliothecae Gothanae, de quorum altero, Persico, deinceps agemus, alterum vero, Arabica lingua conscriptum, hunc gerit titulum: كتاب الاقاليم تاليف الشيخ ابي علي الفارسي النحوي, *Liber climatum, opus doctoris Abou Ali al Faresii Grammatici.* Alia manus auctoris nomen mutavit in ابو اسحق الفارسي, *Abou Ishak al Faresi.* Alia etiam nomina alii addiderunt sive librarii sive possessores, ut ابو زيد احمد بن سهل البلخي, *Abou Said Ahmed ibn Sahel al Balkhi;* et ابو اسحق الفارسي القاضي المعروف بالاصطخري, *Abou Ishak al Faresi al Kadhi, vulgo dictus al Isthakhari.* Hinc sibi non liquere dicit Kosegartenus quod verum auctoris nomen sit. At si animadvertimus hunc librum, etsi de tempore, quo compositus sit, nihil invenerit Kosegartenus, antiquum videri (97), illumque tabulis Geographicis, singularum regionum et provinciarum faciem exhibentibus, esse instructum; atque in eo non tantum variorum tractuum urbes, flumina, maria describi, sed etiam locorum intervalla designari; tum in ejus titulo, nomen Abou Ishaki al Faresii bis et quidem a diversa manu scriptum, cerni; si haec denique omnia comparemus cum iis, quae de ipso libro Persico, quem Anglice reddidit Ouseleyus, de ejus aetate et auctore disputavimus, nulla poterit esse dubitatio, quin codex Gothanus Abou Ishaki al Faresii scriptoris Persici versionem Arabicam contineat; praesertim si ceteris argumentis tanta rerum ver-

---

تجاراتهم انما تصل اليهم علي ظهور الرجال واصلاب المعز وانهم ربما اقاموا في صعود جبل ونزوله الاسبوع والعشرة الايام, *Neque occurri cuiquam, qui mihi de iis* (Yadjoudj) *narraret, praeter Abou Ishakum Ibrahimum ibn al Bankin cubicularium regis Khorasanae, qui mihi retulit merces ad eos deferri ab hominibus vel capris eas in dorsis gerentibus; atque adscendendo et descendendo monte nonnumquam septem vel decem dies consumi.*

(97) Auctorem vetustum esse ex ipsius exempli A. 569 (Chr. 1173—4) exarati antiquitate constare poterat. Sed imprimis illud apparet ex iis, quae de idoli cultu, apud Multanenses tum temporis adhuc florente, in eo narrantur. Nisi enim ante Mahmoudi Gaznevidici idolorum apud Indos eversoris aetatem, vel annum aerae nostrae millesimum, vixisset, talia hac de re referre non potuisset.

verborumque convenientia inter utrumque librum accedat, quantam ex sequenti comparatione omnes facile agnoscent.

Codex Arabs Gothanus de urbe Multane sequentia tradit, quae Kosegartenus l. l. p. 27 descripsit, addita versione Latina, quam nos etiam servavimus (98):

والملتان (99) مدينة نحو نصف المنصورة وبها صنم يعظمه الهند ويحج اليه من اقاصي بلدانها
ويتقرب (100) الي (101) الصنم في كل سنة بمال عظيم (102) ينفق علي بيت الصنم
والمتعلقين (103) به منهم (104) وبيت هذا الصنم قصر مبني في اعمر موضع بسوق الملتان
بين سوق العاجيين وصف الصفارين وفي وسط هذا القصر قبة والصنم فيها وحوالي القبة
بيوت يسكنها خدم هذا الصنم ومن يعتكف عنده (105) وليس بالملتان من الهند
والسند (106) الذين يعبدون الاوثان غير هاولاي (107) الذين هم في هذا القصر مع (108)
الصنم وهذا صورة علي خلقة انسان (109) متربع (110) علي كرسي من جص واجر والصنم
قد البس جميع بدنه (111) جلدا تشبه السختيان الاحمر لا يتبين من جثته الا عيناه (112)
فمنهم من يزعم ان جسده (113) خشب ومنهم من يزعم انه من غير الخشب الا انه لا
يترك (114) بدنه ينكشف وعيناه جوهرتان وعلي راسه اكليل (115) ذهب متربع (116)
علي ذلك الكرسي قد جعل (117) ذراعيه علي ركبتيه وقد قبض (118) اصابع كل (119)
يديه.

---

(98) In sequentibus notis varietates hujus loci, qualis apud Ibn Haukalum cod. p. 131 sq. invenitur, annotavimus. Ex iis apparebit versiones duorum auctorum aliquantum, sed non nisi in verbis, discrepare; tum etiam codicem Gothanum haud integrum esse, quippe in quo nonnulla loca desiderentur, quae Ibn Haukalus et Geographia Orientalis servarunt.

(99) واما الملتان فهي مدينة نحو (نصف forte excidit) المنصورة في الكبر وتسمي قوج بيت الذهب. Pro قوج lege فرج ut infra exstat. (100) يتقربون. (101) Addit هذا. (102) فينفق. (103) والمعتكفين فيه. (104) Addit وسميت الملتان باسم الصنم, *nomen habet Mōltan a nomine Idōli*, dein ومكان هذا الصنم في قصر, *et locus hujus idoli est in arce.* (105) يعكف عليه. (106) من السند والهند. (107) هولاي recte. (108) Addit هذا, dein habet وهذا الصنم صورة. (109) خلق الانسان. (110) مربع. (111) Pro بدنه habet جسده. (112) يشبه جلد السختيان احمر لا يبين من جسده شي الا عيناه. (113) Pro جسده habet بدنه. (114) ومنهم من يدفع ذلك غير انه لا يتركه. (115) Addit من. (116) Pro متربع scripsit مرتفع. (117) وقد مد (118) فرق pro قبض. (119) Deëst كل; dein habet كمن pro كما.

يديه كما يحسب اربعة (اربعة .l) (120) فاذا قصدهم الهند للحرب وانتزاع هذا الصنم منهم اخرجوا (121) الصنم واظهروا كسره واحراقه فيرجعون ولولا ذلك لخربوا الملتان (122) والمنصورة اخصب منها وخارج الملتان علي نصف فرسخ ابنية كثيرة (123) وهي معسكر الامير (124) لا يدخل الامير منها الي الملتان الا في (125) الجمعة يركب الفيل ويدخل الي صلاة الجمعة واميرهم فرسي ولا يطيع صاحب المنصورة احدا الا انه يخطب للخليفة *

وزي اهل الملتان الازر والميازر والغالب عليهم لسان الفارسية والسندية وكذلك المنصورة (126) *

Mul-

---

(120) Ibn H. addit وعامة ما يحمل الي هذا الصنم من المال ياخذه امير الملتان وينفق علي السدنة منه, *Opes, quae ad hoc idolum publice conferuntur, princeps Multani capere solet, et ostiariis inde praebet stipendium.* (121) Idem اتوا pro اخرجوا; dein فاظهروا.

(122) Addit وعلي الملتان حصن ولها منعة وهي خصبة رخيصة الاسعار غير ان المنصورة اخصب واعمر منها وانما سميت الملتان فرج بيت الذهب لانها فتحت في اول الاسلام وكان بالمسلمين ضيق وقحط فوجدوا فيها ذهبا كثيرا فاتسعوا فيها (an delendum فيها?) بما وجدوه *Multan arcem habet et munita est. Ipsa est fertilis, et vili gaudet annona, sed Mansoura fertilior est et cultior. Dicitur autem Moltan Fardj Beit Adzdzahab* (i. e. Confinia domus auri); *quoniam, cum primis Islamismi temporibus expugnaretur, Moslemi angustiis et penuria oppressi, multum auri in ea invenerunt, quo ampliorem conditionem nacti sunt.*

(123) Addit تعرف بجندرم, *quae Djenderam vocantur.*

(124) I. H. للامير, dein addit copulam و ante لا, sed omittit seq. الامير.

(125) Addit يوم. Quae post الجمعة sequuntur sic habet عند ركوبه الفيل ويدخل وقد ركبه فيصلي بهم الجمعة ويعود واميرهم قرشي ابن سامة ابن (اسامة بن .l) لوي قد تغلب عليها اولوه ولا يطيع صاحب المنصورة وهو يخطب ايضا لبني العباس, *Quo tempore elephantem inscendens eoque vectus urbem intrat, ut incolis preces publicas praeëat; dein redit. Princeps eorum Koraischita est ex Osamae ibn Lawi posteris, cujus majores locum istum occupaverunt. Is Mansourae domino non paret, sed etiam ipse preces Abbasidarum nomine peragit.* Ceterum nostro in loco recte legi القرشي pro الفرسي, quod Kosegart. habet, ex genealogia apparet, quam extra omnem dubitationem collocat Mesoudi MS. 282. p. 94, qui habet لوي بن غالب. Cf. etiam *Not. et Extr. des MSS.* T. I. p. 10. Pocock. *Sp. H. A.* p. 50 sq. edit. nov.

(126) Hunc locum hoc modo refert Ibn Haukalus cod. p. 133. v. 12. وكذلك زي اهل الملتان

لباسهم

Multan urbs est fere dimidio minor quam Manssûra. Idolum ibi extat, quod Indi magni faciunt et adeunt, ex ultimis eorum terris eo migrantes. Amplissima pecunia quotannis idolo oblata, in usum domus idoli et, qui ex eorum numero in ea versantur, ministrorum erogatur. Hujus idoli domus vero arx est, structa in loco maxime frequenti, foro nempe Multani, sito inter forum fabrorum, qui ebur tractant, et plateam fabrorum aerariorum. In media arce turris (l. fornix), *in qua collocarunt idolum; circumdant turrim* (l. fornicem) *domus, in quibus morantur idoli ministri, et qui precibus ibi vacant. Indorum vero et Sindorum, qui Multanum incolunt, nulli venerantur idola, nisi qui in illa arce prope idolum habitant. Hoc autem simulacrum est fictum in formam hominis sedentis in sella, quae e gypso laterculisque structa. Totus idoli truncus corio indutus, quod alutam rubram refert, nec ulla corporis pars, nisi soli oculi, nuda. Itaque sunt, qui truncum e ligno fabrefactum tradant, et alii, qui non e ligno eum fabricatum esse autument. Retegi truncum non sinunt. Ejus oculi duae gemmae sunt; capiti corona aurea imposita. Sedet vero in illa sella, brachia imponens genibus, utriusque manus digitos contrahens, quemadmodum putatur* (potius: *ut in numerando fieri solet*), *quatuor. Quotiescunque Indi bellum illis inferunt, idolumque iis eripere conantur, hi idolum auferunt, simulantque se id confregisse atque combussisse, quibus cognitis hostes recedunt; sin minus, Multanum eversuri sunt. Proventu Manssûra magis abundat quam Multân. Extra Multanum, interjecta dimidia circiter parasanga, aedificia exstant multa, quae sunt castrum principis. Ex iis princeps in urbem non devehitur nisi die Veneris, quo elephantum conscendit, precationemque diei Veneris adit. Princeps eorum Persa est; neque princeps Manssûrae ulli morem gerit, nisi quod pro salute Chalifae in templis preces institui sinat.*

Vestiuntur Multâni incolae tunicis et cingulis; plerique eorum lingua utuntur Persica et Sindica. Ita etiam Manssûritae."

G. O. p. 148 seq. p. 152.

The city of Moultan is about half the size of Mansoureh. It is called the „Golden House

---

لباسهم الازر والمازر لشدة الحر ببلدانهم ولسان المنصورة والملتان ونواحيها العربية والسندية ولسان اهل مكران الفارسية والمكرية, *Similis est ornatus incolarum Multani: eorum vestes sunt cingula et subligacula, propter vehementem calorem in ipsorum regionibus. Lingua Mansourae et Multani ejusque tractuum est Arabica et Sindica; lingua vero populi Mekranae est Persica et Mekranica.*

House;" for there is in the city a certain idol, to which the Indians of the country come as on a religious pilgrimage, every year, and bring great riches with them; and those who pray in the temple of this idol must pay a tribute (127). *This temple is situated in the centre of Moultan; and in the middle of the temple there is a great copula or dome. All round this building are various houses, in which the servants and attendants of the idol reside. Moultan is not reckoned as belonging to Hindoostan; but there is in it a race of idolaters who worship in this temple. The idol is made in the form of a man, with the feet on a bench, formed of tiles, or bricks and mortar: it is clothed in a red garment, resembling Morocco leather* (سختيان), *and no part of the body is to be seen except the two eyes. Some people say the body is made of wood; but they do not permit any one to see more of it than the eyes, which are composed of precious stones. On the head is a diadem of gold. It sits upon a square throne, the hands resting on the knees.*

All the riches which are brought to this idol from Hindoostan, are taken by the Emir of Moultan, who distributes a portion among the servants of the temple. When the Indians come there in a hostile manner, and endeavour to carry off the idol from them, the people of Moultan take it forth, and seem to make preparations for breaking and burning it; when the Indians perceive that, they desist from fighting, and return back. If it were not for this circumstance, the Indians would destroy Moultan.

---

(127) Aperte h. l. aut corruptus, aut non satis accurate conversus est, Codex Ouseleyi, ut ex illius comparatione cum Ibn Haukali verbis constare poterit. Caussa nominis infra quoque in Anglicis rectius traditur; quamvis utroque loco Ouseleyus non فرج بيت الذهب sed بيت الذهب reperisse videatur. Prius tamen non tantum a Lexico Geogr. v. فرج, sed etiam a Beladzorio, confirmatur, qui agens de expugnatione Sindiae MS. 1903 (403) p. 505, hanc expeditionem adversus Multanenses refert ad res gestas Mohammedis ibn al Kasem Tsakifitae, legati Al Hedjadji ibn Yousef, qui eum, regnante Walido I Ommaiada, in Indiam miserat; unde paullo post, mortuo Hedjadjo, A. 95 (Chr. 713—4) rediit. Cf. p. 506. Adde Abulf. A. M. T. I. p. 426. not. Hist. 194. Beladzorius فرج explicat per ثغر, unde discimus vocem فَرْج pronuntiandam, et de *confiniis* intelligendam esse. Hic enim usque ad Mahmoudi Gaznevidici tempora Imperii Moslemici finis fuit, unde antiquitus (priusquam scil. Transoxana in Khalifarum potestatem redacta esset) Sindia et Khorasana appellatae sunt الفرجان, teste Abou Obeida apud Djeuharium. Porro narrat Beladzorius istam domum auream, sive بيت الذهب, ex qua Moultan nomen traxit, fuisse cubiculum decem cubitos longum et octo latum, in quod, per fenestram in tecto factam, donaria aurea injicere solebant Indi. H.

tan. There is here a castle, or citadel; but Mansoureh is more populous and improved.

Moultan was styled the Beit Alzahab, or Golden House, because the Mussulmans were in great distress when they seized on this town, and found in it vast quantities of gold, and acquired power. About half a farsang from the town is a villa, in which resides the Emir of Moultan — on the appointed festivals he goes into the town — he is a Coreishi of the children of Sam the son of Noah, who conquered Moultan; and he is called the Emir of that place. He has not any power over Mansourah; but the Khutbah is read in the name of the Khalif.

In this place (Tasimoun) *the only garment they wear is the azar, or sash round the middle, as the heat renders all others unnecessary: it is also the custom at Moultan. In the province of Makran they speak the Persian and Makrani languages.*

En vero mirum et indubitatum plane inter codicem Gothanum et Geographiam Orientalem consensum, ex quo, tamquam primario argumento, cum ceteris supra memoratis conjuncto, merito efficias utroque opere eundem librum contineri. Nam quod non perfecte et absolute alter locus alteri respondet, id nullam difficultatem objicere potest reputanti codicem Arabicum versionem exhibere, codices vero Persicos, ex quibus Anglica versio confecta est, non optimae notae exempla esse. Interim nonnulla codici Arabico Gothano deësse, quae in ipso opere Persico inveniantur, ex Ibn Haukalo apparet, qui hoc loco cum Geographia Orientali plurimum consentit.

Alter codex Gothanus, Persicus, haud minora prae se fert indicia ex quibus constet, in illo etiam exemplar servatum esse operis Geographici Abd-allae sive Obeid-ollae ibn Khordadbeh, eumque adeo nec a libro, cujus Anglicam versionem dedit Ouseleyus, nec a praecedenti libro Arabico esse diversum, nisi quod alter ipsum auctorem, alter versionem exhibeat. Etenim, teste Kosegarteno l. l. p. 28 sq., liber Arabs et Persicus eadem fere de urbe Multan referunt. Auctor est perantiquus: nam frequenti familiarum regiarum, quae Persidis imperium tenuere, mentione facta, nullam tamen Samanidica recentiorem memorat: tabulis Geographicis specialibus etiam ipse opus suum ornavit, atque praeter regionum urbes, montes, flumina, etiam de vectigalibus, proventibus, incolarum ingeniis et moribus, vestibus et linguis, locorumque inter se distantiis exposuit. Quem operis conspectum optime cum Geographia Orientali convenire, nemo non videt. Accedit codicis titulus, qui libri auctorem diserte eum esse dicit Abd-allam ibn Khordadbeh, cui Geographiam Orientalem superius adscripsimus. Est enim titulus sequens: هذه النسخة الشريفة الموسومة بمسالك الممالك الذي يقول العوام صور اقاليم تاليف ابي القاسم عبد الله بن خرداذ خراساني, *Codex hic nobilis, qui inscribitur: Regionum tractus, vulgo vero dicitur: Tabulae climatum, opus Abuol Kasemi Abd-allae ibn Khordad*

dad Khorasanici (128). Denique eodem facit rerum verborumque in utroque opere consensus, quemadmodum ex uno alterove specimine constare poterit.

Kosegartenus l. l. p. 31 auctorem libri Persici sequentia de templis Magorum antiquis, quae suo tempore in Perside supererant, referre dicit:

ذكر اتشكذهاي بارس

هيچ شهر وناحية بي آتشكاه نيست وان را حرمت ذارند هيچ ناحيتي وروستايي نيست كه نه درو اتشكاهي هست انچ (? انچه an) بزركترست ومعروفتر ازان ياذ كنيم كاربان اتشكاهي هست نزديك بركه جور وانرا بارين خوانند وبزبان بهلوى بران نبشته انذ كه سي هزار دينار بران هزينه شذه است اتش كاهي بر در شابور هست سوي خسين خوانند وهم در شابور انجا كه پاياب ساسان كويند اتشكاهي هست كنبد كولش خوانند بكازرون اتشكاهي هست انرا خفسه خوانند وديكري هست كلاذن خوانند وبشيراز اتشكذه هست مسوبان خوانند ودر كبركي جنانست كه هر زني كه بوقت ابستني يا بوقت حيض زنا كند باك نشود الا كه باتشكاه ايذ وبيش هربذ برهنه شوذ وبكميز كاو خويشتن را بشويد*

Designatio delubrorum ignis persicorum.

Neque urbium neque provinciarum ulla fanis ignis caret, quae pie venerantur. Nulla est provincia, nullus pagus, cui non sit fanum ignis. Majora et celebriora eorum commemorabimus. Kârbân fanum ignis est prope piscinam urbis Dschôr, quod etiam dicunt Barîn; veteres triginta millia dinarorum ei impendisse, verbis pehlewicis ei inscriptum est. Ad portam Schabûri fanum ignis est, quod Ssui chessîn dicunt; et praeterea Schaburi, in loco quem piscinam Sassanidarum dicunt, fanum ignis est, cui nomen Ghunbed gholusch (praestat *Ghunbed Ghoul*). *In urbe Kâserûn fanum ignis exstat, quod di-*

---

(128) Quod hoc loco *Ibn Khordad*, non *Ibn Khordadbeh* legitur, id nullam habet difficultatem, si ea reputemus, quae ad hoc nomen illustrandum supra annotavit Hamakerus V. Cl., consentiente Sacyo V. C., qui (*Journ. des Sav. Janvier* 1820. p. 24) به epitheton esse dicit, *discipulum verae religionis* significans, quod Zoroastri sectatores nominibus suis adjungere amant. — Opus autem, de quo hic agitur, haud diversum esse videtur ab eo, quo celeberrimus Geographus Persa Hamdallah, in suo componendo opere *Nozhet al Coloub* usus est, quippe qui, teste Ouseleyo G. O. Praef. p. IV sq., in sua praefatione, se inter alia etiam usurpasse refert مسالك الممالك بتاليف ابي قاسم عبد الله بن خرداد خراساني, *Mesalek al Memalek opus Abou Kasemi Abd-allae ibn Khordad Khorasanici.*

dicunt Chafse, et aliud, cui nomen Keladsen. Schirâsi delubrum ignis exstat, quod Messûban nuncupant. Ghebrismo sancitum est, mulierem, quae gravida sive menstrua patiens cum viro concubuerit, impuram esse, nisi fanum ignis adierit, coram Herbedo veste se exuerit, et urina bovis se abluerit.

G. O. p. 85 et 95.

There is not any district, nor any town of Fars, without a Fire-temple. These are held in high veneration.

There is not any district of this province, nor any village, without a Fire-temple. One, near Shapour, they call Kumbud-i-kaush. At Kazeroun there is a Fire-temple, called Kheifeh; and another, called Kulladen and Mesouban. And in the religion of the Guebres it is thus ordained, that „omnis foemina quae tempore graviditatis aut tempore menstruorum, fornicationem seu adulterium fecerit, pura non erit, donec ad Pyraeum (seu templum Ignicolarum) accesserit (et) coram Heirbed (Sacerdote) nuda fuerit et urina vaccae se laverit (129).

Kosegartenus alterum ex codice Persico locum descripsit, quo auctor de linguis, quibus suo tempore utebantur Persae, sequenti modo disserit:

وايشانرا سه زبانست فارسي واكر جه در ناحيتها تفاوتي دران هست اما همه يكسان بود وهمه پارس زبان يكديكر دانند وهيچ لغت ايشان بوشيده نماند وزبان بهلوي كه بروزكار قديم مكاتبات بان بودي انرا احتياج بتفسير است وزبان تازي كه اكنون در دواوين پادشاهان مكاتبات بدان است *

Linguae iis sunt tres: Persica, quae etiamsi in nonnullis provinciis aliquantum a se discedat, nihilominus ubique ita eadem est, ut in universa Persia omnes invicem linguam suam intelligant, nec ullus eorum sermo obscurus sit; lingua Pehlevica, qua tempore pristino scripta componebant; haec interpretatione indiget; lingua Arabica, qua nunc in curiis principum scripta componunt.

G. O.

---

(129) Ultima hujus loci verba in codice Persico hoc modo scripta erant (vid. G. O. App. I. p. 286) ودر كبركي چنانست كه هر زني كه بوقت ابستني يا بوقت حيض زنا كند پاك نشود تا انكاه كه در آتشكده آيد پيش هربد برهنه شود وبكميز كاو خويشتن بشويد. Hic Ouseleyani paene ad verbum cum Gothano conspirant, nec dubium est quin perfecta universi loci in tribus codicibus foret convenientia, nisi exempla, quibus Ouseleyus usus est, essent mutilata et depravata.

G. O. p. 114.

And they have three languages: The Parsi (زبان پارسي)*, which they use in speaking one to another; though there may be some variations of dialects in different districts, yet it is in fact all the same, and they all understand the language of each other, and none of their expressions or words are unintelligible: The Pehlavi language* (زبان پهلوي) *which was formerly used in writings; this language now requires a commentary* (تفسير) *or explanatory treatise; and the Arabick language* (زبان تازي) *which at present is used in the Divans, or Royal Courts of Justice, Revenue, etc.*

Tertius locus, quem protulit Kosegartenus, de sacris Persarum tradit:

ودر بارس كبركان وترسان وجودان باشند وغلبه كبركان دارند وجهودان اندكي باشند وكتابها كبركان واتش‌كدها واداب كبركي هنوز در ميان برسيان وبهيج ولايت اسلام جندان كبر نباشد كي در ولايت بارس كه دار ملك ايشان بوذ ست (بوده است .1) والله اعلم *

In Persia exstant Ghebri, et Christiani, et Judaei; numero praevalent Ghebri; Judaei pauci sunt. Libri Ghebrorum, et fana ignis, et instituta Ghebrismi adhuc inter Persas supersunt. Neque in ulla alia Muslemorum terra tantus Ghebrorum numerus, quantus in Persia exstat; haec enim eorum imperii sedes fuit. Perfectissime ea cognita habet Deus.

Majorem hujus loci partem etiam Persice dedit Ouseleyus in App. I. p. 286:

وكتابهاي كبرگان وآتشكدهها واداب كبركي هنوز در ميان پارسيان است وبهيچ ولايت اسلام چندان كبر نباشند كه در ولايت پارس كه دار الملك ايشان بوده است *

Integram vero ejusdem versionem exhibuit in G. O. p. 116.

In Pars there are Fire-Worshippers, or Guebres (كبران)*, and Christians* (ترسايان)*, and some Jews* (جهودان)*; and the books of the Guebres, their Fire-temples, and their customs or ceremonies of Guebrism, or Magism, still continue among the people of Pars; and there are not in any country of Islam so many Guebres as in the land of Pars, which has been their capital or chief residence.*

Tria haec loca, quae Kosegartenus edidit, egregia sunt specimina consensus inter codices Persicos, unum Gothanum, duos Anglicos. Nec profecto credimus plura testimonia posse requiri, ut certi simus codices illos non esse nisi diversa ejusdem libri exemplaria. Quod autem codicum Gothanorum exordia nec inter se, nec cum Geogr. Orient. conveniunt, id nemini nostrae sententiae obstare videbitur; cum codicis Persici praefatio a sec. manu instaurata, Arabici a librario (ut abruptum initium docet) magnam partem omissa sit, nec etiam in Ouseleyanis proöemium integrum servatum esse videatur.

Ha-

Habent igitur quatuor isti codices, tres Persici, unus Arabs, unum eundemque auctorem, cujus, ut videtur, nomina haec fuerunt: Abou'l Kasem sive Abou Ishak Abd-allah vel Obeid-allah (130) ibn Abd-allah ibn Khordadbeh; cognomina vero gentilitia: al Khorasani al Faresi al Isthakhari (131): ex eo petita, quod ipse quidem ex Persidis urbe Is-

---

(130) Quamvis, propter codicis Gothani et Hamdallae Kazwinensis cum titulo codicis Ibn Haukali consensum, praenomen etiam *Abou'l Kasem* (de quo supra n. 94 dubitabam) Ibn Khordadbeho fuisse, negari vix possit: idem tamen de nomine *Mohammed*, quod in eodem titulo ipsi tribuitur, affirmandum non videtur. Nam primum id nusquam alibi memoratur: tum praenomina quidem complura habere apud Moslemos frequens est, at nomina propria inauditum. Denique hic facilis potuit esse librarii lapsus: partim, quia isto nomine *Abou'l Kasem Mohammed*, nihil est tritius, partim quia hoc ipsius fuit nomen Ibn Haukali, quod paullo ante praecesserat. H.

(131) Abou Ishakum, sive Ibn Khordadbehum, praeter alia cognomina, etiam illud Isthakharii habuisse, primum eo statuimus, quod codex Arabs Gothanus hoc nomen ipsi disertis verbis tribuit; dein quod Kazwinius Isthakharium talem librum scripsisse refert, qui a G. O. haud diversus esse videatur. Celeberrimus enim hic Geographus in opere suo: كتاب آثار البلاد واخبار العباد, *Liber monumentorum regionum et historiarum hominum*, (MS. n. 512. p. 148) ad urbem اصطخر *Isthakharem* haec memorat: وينسب اليها الاصطخر (الاصطخري .l) صاحب كتاب الاقاليم فانه ذكر في كتابه النواحي المعمورة وذكر بلادها وقراها والمسافات بينها وخواص (وخواص .l) موضع ان كان له خاصية وما قصر في جمع ذلك الكتاب رحمة الله عليه, *Ab hac urbe cognomen habet Isthakharius, auctor libri climatum, in quo descripsit orbem habitatum, ejusque oppida, vicos, eorumque distantias, nec non locorum, si quas habeant, proprietates; quorum omnium nihil in hoc libro desideratur. D. i. b. v.*, quae libri descriptio in omnibus et singulis accurate cum G. O. convenit. Denique Ibn Khordadbehum jure Isthakarium vocari idcirco contendimus, quoniam ab eodem Kazwinio et Lexici Geogr. MS. auctore complura ex opere Isthakharii citantur loca, quae in G. O. integra, vel parum diversa exstent; quod nonnullis exemplis ostendere et probare haud incongruum videtur. In Lex. Geog. sequentia ex Isthakhario loca descripta legimus, in G. O. pariter invenienda. Ad v. اسبيذرود *Isbidzroud.* قال الاصطخري هو بين اردبيل وزنجان يصغر عن حربان (جريان .l) السفن فيه, *Dicit Isthakharius: hic* (fluvius) *est inter Ardebilum et Zendjanum; impar est navigiis ferendis.* G. O. p. 161 extr. *The most considerable rivers of this country*, (sc. Armenia, Aran et Adzerbeidjan) *are the Kur, the Aras, and the Asfendrud, which is between Ardebil and Zemgan.* Ibn Haukal, cod. p. 112. v. 3 extr. ونهر سندرود (سبيدرود .l) الذي بين اردبيل وزنجان فنهر يصغر عن جري السفن به, *Fluvius Sendroud, qui inter Ardebilum et Zendjanum decurrit, minor est quam ut naves ferat.* — L. G. v. بنجيكت *Bondjikat.* قال الاصطخري اكبر مدينة باشروسنه يشتمل خندقها علي دور وبساتين وكروم, *Dicit Isthakharius: haec est urbs maxima Oschrusanae, cujus fossa domos, uti et hortos vineasque cingit.* G. O.

Isthakhare, majores vero ex Khorasana orti essent. Ad hanc autem conclusionem pervenimus, ab isto progressi principio, Abou Ishakum et Ibn Khordadbehum nomina esse

---

G. O. p. 262, 263. *The chief town of Setrousteh* (l. Oschrusanah) *is called — Boumheket* (an Bondjikat?). — *The water of the ditch runs among the villas, and gardens, and meadows, and cornfields.* Ibn Haukal, cod. p. 192. v. 7 sqq. ومدينتها (اشروسنه) الكبري تسمي بومجيكث , وحايط الربض يشتمل علي نحو فرسخ وعلي بساتين وكروم وزروع , *Urbs ejus* (Oschrusanae) *maxima vocatur Boumhekets* (forte Bondjikat); *cujus suburbii murus amplectitur fere parasangae spatium, et continet hortos, vineas et arva.* — L. G. v. بمجكث *Bamidjkats.* قال الاصطخري واما بخارا واسمها بومجكث وقال في موضع اخر واما بومجكث فانها علي يسار الذاهب الي الطواويس علي اربع فراسخ من بخارا وبينها وبين الطريق نصف فرسخ , *Dicit Isthakharius: Bokhara vocatur Boumhekets. Alio vero loco dicit: Boumhekets est ad manum sinistram proficiscentis versus Thawawisam, ad quatuor parasangarum distantiam a Bokhara; ipsa autem parasangae dimidium a via distat.* G. O. p. 245, p. 252. *Bokhara is called Bounheket. — Buhemeket is on the road of Touaweis at a distance of four farsang.* Ibn Haukal, p. 184. v. 8 sqq. p. 187. v. 3 extr. وبخارا — فاما اسمها بومجكث — وطريق سمرقند غلوة علي يسار الذاهب الي سمرقند (? طواويس an) *Bokhara — nomen habet Boumhekets. — Via Samarkandae tantum spatii a sinistra proficiscentis Samarkandam* (forte Thawawisam) *remota est, quantum equus uno cursu potest conficere.* — L. G. v. بكراباد *Bakrabad.* قال الاصطخري جرجان قطعتان احداهما المدينة والاخري بكراباد وبينهما نهر يحتمل ان يجري فيه السفن , *Dicit Istkakharius: Djordjana constat duabus partibus, quarum altera est urbs, altera Bakrabad; inter has decurrit fluvius, navigiis gerendis idoneus.* G. O. p. 179 extr. *Gurkan is a small place; without the city is a piece of ground called Bekrabad, through which runs a considerable stream.* Ibn Haukal, p. 139. v. 6. وهي (جرجان) قطعتان بينهما نهر يجري كثير الماء عظيم في الشتاء وعليه قنطرة معقودة بين القطعتين من جرجان وجرجان القطعة الشرقية من النهر والغربية تعرف ببكراياد (بكراباد .l) , *Illa* (Djordjana) *constat duabus partibus, fluvio, qui aquis abundat et per hyemem magnus est, a se invicem divisis, sed ponte conjunctis. Djordjana vocatur pars quae ab oriente fluvii, Bekrayad* (l. Bekrabad) *quae ab occidente jacet.* — L. G. v. بنكث *Bonkats.* قال الاصطخري بنكث قصبة اقليم الناس ولها قهندز ومدينة وقهندزها خارج عن المدينة وللمدينة ربض عليه سور *Dicit Isthakharius: Bonkats est emporium regionis hominibus frequentatae, constans arce et urbe. Arx extra urbem est. Urbs suburbium habet muro circumdatum.* Loca Geographiae Orientalis et Ibn Haukali iisdem paene verbis concepta jam supra p. 18 et 19 descripsimus; quae igitur h. l. non repetemus. His vero exemplis ex Lex. Geogr. desumtis unum alterumve ex Kazwinio addamus. Hic in suo opere عجايب المخلوقات MS. L. B. n. 29. ad descriptionem fluvii Djihounis, hoc

Is-

se ejusdem auctoris, et quidem illius, qui librum composuit Geographicum, cujus duobus exemplaribus usus est Ouseleyus. At vero illud ipsum principium ex comparatio.

Isthakharii testimonium citat: قال الاصطخري جيحون يخرج من حدود بدخشان ثم ينضم اليها انهار كثيرة في حدود الجبل ووخس فيصير نهرا عظيما ثم يمر علي مدن كثيرة حتي يصل الي خوارزم ولا ينتفع به شي من البلاد الا خوارزم لانها مستفل (مستعلة .l) عنه ثم ينصب في بحيرة خوارزم, *Dicit Isthakharius: Djihoun oritur in confiniis Badakhschan; dein multos fluvios in se recipit in terminis Al Djebal et Wakhasch unde valde magnus fit; tum transit juxta multas urbes, donec in Khouarezmiam pervenit, quae sola regio aliquam ab eo habet utilitatem, quoniam fluvii aquis inferior est* (?). *Tandem incidit in lacum Khouarezmiae.* G. O. p. 238 seq. *This river* (Iihoon) *rises within the territories of Badakshan and receives the waters of many other streams. — The Iihoon then proceeds to Kalef, — to Zam, — to Amoui, — to Khuarezm, and flows into the lake of Khuarezm. There is not any town watered by the Iihoon, until you come to Zam; there the inhabitants derive some benefit from it; still more at Amoui: but the chief advantage of the Iihoon results to Khuarezm.* Ibn Haukal, cod. p. 181. v. 19. اما جيحون — ويخرج من بلاد وخان في حدود بدخشان وتجتمع اليه انهار في حدود الختل والوخش فيصير منها هذا النهر عظيم — ثم يخرج هذا الوادي في حدود بلخ الي الترمذ ثم الي الكلف ثم الي زم ثم الي امل حتي ينتهي الي خوارزم والي بحيرتها ولا ينتفع بماء هذا الوادي بالختل والترمذ الي ناحية زم احد فتعمر به زم وامل وفربر ثم ينتهي الي خوارزم *Djihoun oritur e regione Wakhan in terminis Badakhschani, et multos in se colligit fluvios in confiniis Khotol et Wakhasch, quibus multum augetur. — Dein hoc flumen transit per terminos Balkhae ad Termed, tum ad Kalef, dein ad Zam, tandem ad Amol, denique in Khouarezmiam, in cujus lacum se exonerat. In Khotol, et Termed, usque ad tractum Zam nemo aliquod ex hoc flumine commodum habet; sed Zam, Amol, et Farber, ejus aquis culta redduntur. Tandem in Khouarezmia cursus sui finem habet.* H. l. Kazwinius magis Isthakharii sententiam quam verba transtulisse dicendus est: accuratius quodammodo egisse videtur memorabili loco fluvium Mihranem spectante, in cujus descriptionem haec Isthakharii verba inseruit: قال الاصطخري مخرجه من ظهر جبل يخرج منه بعض انهار جيحون ويظهر بملتان ثم علي المنصورة ثم يقع في البحر وهو نهر كبير جدا ماوه عذب فيه تماسيح كما في النيل وانه يرتفع ويمتد علي وجه الارض ثم يغصب (an ينصب ?) فيزرع عليه كما يزرع علي النيل بارض مصر, *Dicit Isthakharius: fons fluvii Mihrani est in vertice montis ex quo quidam fluvii Djihouni oriuntur; ipseque apparet in Multane; dein* (procedit) *ad Mansouram, et tandem se ejicit in mare. Est flumen valde magnum aquae dulcis. Continet crocodilos similes illis qui in Nilo inveniuntur. Exundat etiam seseque in terrae superficiem effundit, in qua, postquam subsedit, ita seritur ut juxta Nilum in terra Aegypti.* G. O. p. 155.

Of

tione codicum Anglicorum et Gothanorum eodem modo posset demonstrari, quo supra ex aliis argumentis illud a nobis probatum est. Altera igitur ratiocinatio alteram juvat, atque eo ipso certiores sumus nos in iis, quae disputavimus, a veritate haud deflexisse.

Haec de Ibn Haukalo et Ibn Khordadbeho ejusque operibus dicta sunto. Superest ut nostri codicis accuratiorem demus notitiam, et universi operis proponamus conspectum. Quod paucis effici poterit.

Exaratus est noster codex in charta ordinaria formae quartae majoris, continetque paginas 199. Non est ab uno eodemque librario descriptus; nam nisi triplex, certe duplex observatur manus. Neutrius vero scriptura est nitida, nec distincta, etsi altera, quae minoribus literis constat, aliquando elegantiae speciem prae se ferat. Nullus etiam est ordo, secundum quem altera manus alteram excipiat, sed promiscue scripserunt, ita ut saepe pericopen, quam altera incepit, altera absolverit. Librarii nec rerum nec linguae imperiti fuerunt, sed festinanter nostrum codicem descripsisse videntur, quippe qui antiquiorem librum secuti, cujus folia nescio quo casu erant transposita, hujus rei nullam rationem habuerint, sed omnia, qualia invenerunt, talia reddiderint. Quod quantam confusionem in nostrum codicem invexerit vix opus est ut memorem. Nobis interim insignem hunc errorem corrigere contigit: adeoque eorum in gratiam, qui in posterum codicem nostrum tractabunt, quomo-

---

Of the Mihran it is said that the source is the river Jihoun; it comes out at Moultan, and passes on to the borders of Besmeid, and by Mansourah, and falls into the sea on the east of Dambul. The waters of the river Mihran are pleasant and wholesome; and they say it is liable to tides, or flux and reflux, like the Nile, and that it is infested by crocodiles. Quae h. l. in G. O. ad sententiae integritatem desint supra p. 54 animadvertimus, cum eundem hunc locum in G. O., Sur al Beldano, et Ibn Haukalo comparabamus. Quod autem ex isto etiam defectu ibi loci effecimus G. O. non esse versionem operis Ibn Haukali, id vero non satis idonea de caussa a nobis factum esse satis arguunt Kazwinii ex Isthakhario verba citata. Nam cum ex allatis exemplis aperte, ni fallor, constet, Isthakharium nullum alium esse nisi auctorem Geographiae Orientalis, atque ultimus iste locus a Kazwinio ex Isthakhario productus in fontibus Mihrani describendis Sur al Beldano et Ibn Haukalo respondeat, hic in G. O. defectus non operi, sed codici, adscribendus videtur; adeoque existimandum est, Geographiam Orientalem, si nullo defectu laboraret, descriptionem fluvii Mihrani non minus accuratam exhibituram fuisse, quam Sur al Beldanum atque Ibn Haukalum; unde nullum ex hoc loco argumentum, ad Geographiae Orientalis a Sur al Beldano diversitatem probandam, peti posse efficitur. Hunc errorem, quem inscii commisimus, cum postea ex inopinato contrariam auctoritatem nobis obviam fore nesciremus, h. l. a nobis indicari et corrigi potuisse, vehementer laetamur.

modo variae illius partes disponendae et inter se conjungendae nobis esse videantur, hic exponemus. Primus error occurrit in descriptione regionis Persidis, cod. pag. 105 extr. ubi sequentia leguntur: ويرتفع من القندجان قصبة دست بيرم من البسط والستور والمقاعد واشباه ذلك مما يوازي به عمل الارمني وبها طراز للسلطان امن يا ببير مكران القنجبوز واكبر مدينة بمكران, cujus sententiae pars extrema, etiamsi verba امن يا (ut lineola in codice iis superius imposita indicare videtur) tollantur (132), nullum tamen sensum habet, nec cum praecedentibus cohaeret; cum verba ببير مكران aliaque, quae sequuntur, multa aperte ostendant hic subitum esse transitum ad regionem Sindiae. Quae autem statim post للسلطان describenda erant, inveniuntur in descriptione Regionis Montanae p. 121. v. 10. ubi haec leguntur: وشهرزور مدينة صغيرة قد غلب عليها الاكراد وعلي ما قاربها ودني من العراق وليس بها امير ولا عامل ويحمل منها الي الافاق جهاز كثير وسوسنجرد فسا افضل من سوسنجرد قرقوب. Ex ultimis enim hujus loci verbis, nempe ex mentione facta urbium Sousandjird Fasa et Sousandjird Karkoub, facile apparet, hic iterum de regione Persidis cogitandum esse; quin etiam ea, quae de utensilibus in varios tractus deferri solitis, leguntur, multo melius in urbem cultissimam Kandadjanam (ad quam Persidis descriptio abrumpitur) quadrant, quam in Schahrazouram a Kurdis occupatam. Illa vero pars regionis Sind, quae inepte Persidi adjuncta est, et a vocibus ببير مكران incipit, quorsum referenda sit, ex his codicis nostri verbis p. 133. v. 16 sq. intelligitur: كيز وهي مدينة نحو نصف الملتان وبها نخيل كثير وهي فرضة مكران وبتلك النواحي البير ويعرف هذه المفازة من اقل بلاد الاسلام, ubi pro هذه المفازة etc. substituenda esse ببير مكرن cum seqq. nemo negabit. Ipsa autem verba هذه المفازة cum seqq. satis produnt hic initium quaerendum esse descriptionis Deserti inter Persidem et Khorasanam siti, quod etiam extrema cod. pag. 135. v. 1. والطريق من مابين الي خراسان فمن واما اوزانهم etc. docent, nam descriptio memorati Deserti cod. pag. 149. incipit a verbis فمن مابين الي مزرعة. Regionis denique Montanae, cujus delineationem ad urbem Schahrazouram cod. pag. 121. v. 11 abruptam esse diximus, reliqua pars describitur in enarratione regionis Kirmanae cod. pag. 126. v. 7 extr., ubi legimus وكذلك.

---

(132) Vocabula ista امن يا, quae nonnullis forsitan sensu carere videantur, notam continent marginalem antiquioris librarii, a recentioribus perperam in textum relatam, qua se dubitare fatetur, an ista, quae sequuntur, ad Persidis descriptionem spectent. Nam امن يا pp. notat *An ex undecima* scil. tabula? Ex ordine autem, quo regiones se invicem excipiunt (cf. infra p. 82), hoc apparet, in nostro saltem codice, ubi de orbe terrarum primum peculiari capite, dein de Africa, Hispania et Sicilia conjunctim agitur, Persidis tabulam undecimo loco reperiri. H.

وكذلك مدينة شهرزور كشهرزور في الاوصاف التي قدمتها لها خيراتها كثيرة وقد غلب عليها الاكراد
Hoc enim loco كذلك et seqq. non pertinere ad Kirmanae urbem Bam, cujus descriptio praecesserat, tum ipsa res docet, tum extra omne dubium collocat quod mox sequitur كشهرزور. Nimirum haec illius loci ratio mihi esse videtur. Primum quidem legendum censeo وكذلك مدينة شهرورد, dein verba كشهرزور في الاوصاف التي قدمتها librario tribuenda esse, qui, insignem suum, quem in describendo codice commiserat, errorem nisi intellexerit, hoc certe bene perspexit, inter urbem Bam et Schahrawardam nullam, inter hanc autem et Schahrazouram, magnam intercedere similitudinem. Igitur ne lectores in errorem induceret, necesse esse putavit, verbo indicare, quam ad urbem illud كذلك referendum sit. Quod cum ad Schahrazouram pertineat, evidens est prius urbis nomen in Schahrawardam esse mutandum, atque haec ipsa verba cum multis seqq. usque ad pag. 128. v. 9., ubi iterum Kirmana ab urbe سيرجان incipit, partem constituere descriptionis Regionis Montanae, cujus denique alia etiam particula invenitur in fine descriptionis Sindiae, statim post locum supra memoratum, pertinentem ad Desertum inter Persidem et Khorasanam situm, quae igitur incipit a verbis واما اوزانهم pag. 135. v. 2. atque eadem pag. v. 7. absolvitur. Hoc modo varias nostri codicis partes conjungendas esse censemus. Est autem hic error eo magis mirandus, quoniam noster codex non tantum cum eo unde erat descriptus, sed cum alio etiam vel pluribus fortasse libris collatus esse videtur. Cujus rei duo potissimum argumenta afferre possumus: alterum quod passim in codice sequentia verba reperiuntur: بلغ مقابلته حسب الطاقة, quibus significavit librarius, *suum apographum omni qua fieri potuit cura, hucusque cum Codice collatum fuisse*: alterum, quod cod. pag. 135. v. 6 legimus وهي باجمعها له وفي نسخة بجميعها له, quae verba ostendunt *in alio exemplo pro* باجمعها *scriptum fuisse* بجميعها.

Quod autem ad extremam codicis clausulam, annumque quo exaratus est, attinet, in his explicandis magnas multasque, propter scripturae pravitatem et punctorum diacriticorum defectum, experti sumus difficultates. Quibus molestiis fortasse etiamnum inhaereremus, nisi, ut ubivis, ita etiam hoc loco, auxilium nobis suum lubenter obtulisset Hamakerus V. C.; qui brevi eo pervenit, ut non tantum integram fere subscriptionem legeret et explicaret, sed etiam codicis nostri aetatem, quae imprimis incerta et ambigua videri poterat, extra omnem dubitationem collocaret. Qua de re cum ipse V. C. in nota agere et exponere perhonorifice decreverit, nos nihil dicemus; subscriptionem vero ipsam, quae partim ab auctore, partim a librario profecta est, h. l. describemus, ejusque versionem adjungemus, وقد تم هذا الكتاب بعون الملك الوهاب علي التقريب لغايته ونهايته وتوخي الحقيقة

الحقيقة في شاهده ودانيه وما فيه من خلل وزلل وسهو وخطل فالعذر الي قاريه والي الله تعالي من تقصير ان كان فيه والحمد لله رب العالمين وصلي الله علي خيرته من خلقه محمد النبي وآله الطاهرين الاخيار وسلم تسليما كثيرا دايما ابدا الي يوم الدين وحسبنا الله ونعم الوكيل وكان الفراغ من تعليقه بخطوط مختلفة يوم الثلاثاء المبارك ثالث عشرين - - - - - - في شهور عام ست وعشرين وتسعماية (سبعماية vel) احسن الله عاقبتها (عاقبته .l) امن بمدينة استنبول يسر الله تعالي بالخلاص منها علي احسن حال واجمله (بمحمد وآله وعشرته انه ولي ذلك والقادر) عليّ ومن احب ذلك من احبابنا المقيمين بها والحمد لله وحكمه *

Absolutus est hic liber auxilio (Dei) *Regis munificentissimi, auctore ea arcessente, quae remota et longinqua erant, et unice veritati studente in iis, quae ipse vidit quaeque prope sita sunt. Quod vero attinet ad errorem et hallucinationem, negligentiam et levitatem, quae in eo deprehendantur, excusationem inveniat apud lectorem et Deum Supremum meus virium defectus. Laus sit Deo domino mundorum, et propitius sit Deus optimae suarum creaturarum, Mohammedi prophetae, ejusque cognatis, sanctis, bonis, eique benedictionem magnam, perpetuam, aeternam, ad diem usque judicii concedat. Sufficit autem nobis Deus, et O egregium procuratorem. Caeterum absoluta est haec festinanter confecta Codicis descriptio* (133), *variis manibus, feria tertia benedicta, die vigesimo tertio . . . . . ex mensibus anni* 926 (Chr. 1519—20) (vel 726) (Chr. 1325—6) (134) (*cujus finem Deus faustum reddat. Amen!*) *in ur-*

(133) Sic vocem تعليق reddendam esse putavimus, cujus dubia est significatio, uti et vicinae تعليقة, qua de re, praeter Herbel. v. *Talikaat*, cf. Reisk. ad Abulf. T. III. p. 652 et T. IV. p. 105, qui illud vocabulum explicat sive de *schediasmate* vel *compendio*, sive de *notis marginalibus*, *glossis festinanter factis*, qua de notione etiam agit de Sacy, *Relat. de l'Egypte* p. 485. n. 65. Hinc تعليق de scriptura Persica dicitur, quasi festinante et minus accurata, imo, ut equidem censeo, de omni ejusmodi scribendi genere, etiamsi Persicae scripturae formam non referat, quae notio in nostrum codicem imprimis quadrat. Sic etiam in fine T. I. Codicis n. 1. (1526) (cujus libri negligentius exarati, sed memoria dignissimi, ampliorem aliquando notitiam dabimus) وكان الفراغ من تعليقه سلخ ربيع الاخر, *Et fuit finis descriptionis illius tumultuariae exeunte Rabia posteriore.* H.

(134) Deficientibus punctis diacriticis, definiri omnino non posset, utrum hic تسعماية an سبعماية legendum esset, nisi ipsa verba subjecta, quibus a Deo enixe precatur librarius, ut se reliquosque Moslemos Constantinopoli degentes, qui id cupient, quantocyus ex ea liberet, aperte ostenderent urbem tum temporis adhuc Christianam fuisse, adeoque hic de anno 726 cogitandum esse. Quae res Codici rariori novum ex singulari casu pretium addit. Neque enim facile alium librum Arabicum repertum iri existimo, qui Byzantii, Graecis urbem tenentibus, sit descriptus. Docet autem ista sub-

urbe Istamboul (s. Constantinopoli), *ex qua Deus O. M. facili via, optimaque et felicissima conditione, me amicorumque meorum ibi habitantium illos, qui id cupiant, liberet, gratia Mo-*

---

subscriptio, quod apud illius aevi historicos non satis explicite narratur, Moslemis tum temporis Constantinopoli degere licuisse. Nam si simpliciter ea consulas, quae apud Ducam *Hist. Byz.* C. XIII. p. 25. leguntur, Bayazethum hac conditione pacem cum Graecis fecisse, ut in posterum Iudex Moslemicus foret Constantinopoli, vel (si Leunclavio credere mavis in *Annalibus Turcicis* p. 15) ut Turcae vicum sibi proprium in urbe haberent, haec, inquam, si consulas, parum lautam ibi Moslemorum conditionem ante A. 1393, quo haec acciderunt, fuisse existimes. Sed cogitandum est haec fortasse ad solos Bayezethi subditos pertinuisse, quos antea ut occultos hostes forte in civitatem recipere noluerant, aut ea ejecerant Byzantii. Quidquid est, Graeci certe non adeo infensi fuisse videntur Meslemico nomini, ut Mohammedis asseclas urbis domicilio arcerent. Sic jam olim sub Comnenorum imperio ibi templum Saracenicum fuisse ex Niceta Choniata novimus, qui L. XIX. p. 355 sq. illud, a Latinis direptum, alteri incendio Constantinopolitano A. 1203 occasionem praebuisse refert. Ejusdem fortasse templi mentionem fecit Ibn Khalicanus luculentissimo loco, in Vita Togrulbegi, primi Seldjukidarum Principis. Verba, quae in Cod. P. T. II. p. 358 leguntur, in Cod. autem Leyd. desiderantur, haec sunt: سير الشريف ناصر بن اسمعيل رسولا الي ملكة الروم وكانت اذ ذالك امراة كافرة فاستاذنها الشريف بالصلاة بجامع القسطنطينية جماعة يوم الجمعة فاذنت له في ذلك فصلي وخطب للامام القايم وكان رسول المستنصر العبيدي صاحب مصر حاضرا فانكر ذلك وكان من اكبر الاسباب في فساد الحال بين المصريين والروم *Misit* (Togrul Begus) *Scherifum Naserum ibn Ismaël legatum ad Reginam Graecorum, quae tum temporis mulier infidelis erat. Hanc rogavit Legatus, ut sibi in templo Constantinopolitano preces publicas pro concione die Veneris recitare liceret. Quod cum illa ipsi concessisset, precatus est et vota solemnia fecit pro Khalifa Kayemo. Vehementer istam licentiam improbavit, qui tum forte CPoli aderat, Mostanseri Fathemidae Principis Aegyptii legatus: eaque res inter primarias caussas turbarum, quae mox inter Aegyptios Graecosque exstiterunt, numeranda est.*

Nullum dubium esse potest, quin hic de templo Moslemico agatur. Nam si Christianum designare voluisset, non جامع, ut fecit, sed كنيسة appellasset. Quod autem haec Togrul Bego imperante (1037—1063) acciderunt, id ostendere videtur, hic sive de Zoë Imperatrice Constantini Porphyrogenetae filia, sive, quod malim, de ejus sorore Theodora cogitandum esse: quae regnavit ab A. 1054—1056. Quae cum ita sint, jam inde a Seculo undecimo medio ad decimi tertii initium Synagogen Moslemicam Byzantii fuisse, Moslemosque ibi libere habitasse, haud dubitamus. Quamvis autem Francorum illius temporis in diversae religionis sectatores atrocitas minime patitur, ut a Latinis Impp. eadem jura Moslemis CPoli concessa fuisse credamus; haud desunt tamen indicia, quae doceant Graecis, urbe recuperata, eundem erga Moslemos animum fuisse. Huc accedebat, quod Moslemorum societate se adversus Turcarum, extremum imperio interitum minantium, in-

Mohammedis ejusque familiae et consortii. Deus enim ea in re auxilium praestare eamque perficere potest, ipsique et decreto ejus sit gloria.

Haec de Codicis Leydensis externo habitu breviter dicta sunto. Restat ut universum ipsius operis conspectum exhibeamus, ab ipso auctore in prooemio propositum; quod igitur, quoad summa capita, hic excerpemus.

In praefatione ad suam Geographiam Ibn Haukalus se librum suum composuisse ait, secundum formam orbis terrarum, ejusque dimensiones pro longitudinis et latitudinis ratione, seque in eo tradidisse descriptionem regionum locorumque desertorum et cultorum in universa ditione Islamitica, secundum singularum urbium ad unum eundemque tractum per-

---

invasionem tueri posse credebant. Hinc semel iterumque, affinitate etiam oblata, Impp. Graeci Principes Mohammedanos sibi devincire studuerunt. Sic Imp. Andronicus Palaeologus senior filiam suam obtulit Cazano Mogolorum (vel uti Graeci ajunt, Tocharorum) Persicorum Khano A. 1304. Cf. Pachymeres *Andronici Histor.* L. V. c. 16. Fatemur interim dubitari posse, an Cazanus veris Moslemis sit annumerandus. Cf. de Guignes *Hist. des Huns*, T. IV. p. 267, 270. Graeci certe illum Christianorum fautorem habuisse videntur. Cf. Pachym. L. VI. c. 1. At de Islamismo successoris Cazani fratrisque, Gaïatseddini Mohammedis Khodabendeh, alias Kharbenda et corrupte a Pachymere χαρμπαντᾶν appellati, nulla certe dubitatio est. Huic tamen Maria Imperatoris soror A. 1308 desponsata fuit. Cf. Pachym. L. VII. C. 33. Nec multo interjecto tempore nupserat etiam alia Maria filia notha Imp. Andronici Toghtagou Khano Mogolorum Kapschakensium Khano, Guignesio teste l. l. p. 350. Hujus quoque successori filioque Mohammedi Uzbekkhano, Moslemicis sacris deditissimo, uxorem fuisse filiam Andronici Junioris colligas ex Kosegarteni V. C. Commentatione de *Mohammedis Ibn Batutae Tingitani itinerario.* Hic enim, qui Tingin patriam suam A. 726 (Chr. 1325—6) reliquerat, et variis regionibus peragratis ad Orkhanum Othmanidam, post ereptam Graecis Nicaeam, adeoque post A. 733 (Chr. 1332—3), pervenerat, paullo post ad Uzbekkhanum accessit, et, cum ejus uxore gravida, Imperatoris Graeci tum regnantis filia, quae a marito flagitaverat, ut sibi apud parentes Byzantii partum edere liceret, magna Turcarum, vel potius Mogolorum, caterva comitante, CPolim venit, ibique per integrum mensem moratus et benignissime ab Imp. habitus est. Cf. p. 11, 13, 14. Haec igitur acciderunt inter A. 1333 et 1341, quo Andronicus ejusque gener Mohammed Uzbekkhan ambo obierunt. Denique haud ita multo post, decessorum exemplum imitatus Joannes Cantacuzenus, circa A. 1346 filiam suam Theodoram sive Mariam eidem, quem memoravimus, Orkhano uxorem dedit. Cf. Cantacuz. L. III. c. 92 et Niceph. Greg. L. XV. c. 5. §. II. Cum igitur, ineunte et medio seculo decimo quarto, Imperatores Graeci frequentes cum principibus Moslemis affinitates contraxerint, profecto rationi consentaneum est, ut existimemus, horum quoque Regum subditis Mohammedanis integrum fuisse, ut inter medios Christianos CPoli libere versarentur et domicilia haberent, quamvis a Graecis illius aevi scriptoribus illud diserte non sit proditum. H.

pertinentium distributionem. Nec sibi se proposuisse, ut orbem terrarum ex vulgari divisione in septem climata describeret; quoniam horum climatum tabula Mathematica, etsi verissima sit, valde tamen est obscura et confusa. Idcirco se maluisse singularum regionum, in quas orbis terrarum dividitur, exhibere effigiem et formam, unde eorum locorum situs accuratius intelligatur. Addidisse quaenam loca, quinam tractus alias regiones cingant; quaenam sint urbes aliis, in aliis regionibus descriptis, similes; quaenam in iis sint vectigalia et reditus; quaenam maria et flumina; quidquid denique vel de opibus, tributis, et decimis, vel de locorum distantiis, vel de mercatura, scitu dignum et necessarium sit. Quae sane, ut ipse affirmat, est scientia, qua sapientissimi quique principes omnium aetatum utantur. Inter ea autem, quae ipsum ad ejusmodi opus componendum impulerint, imprimis fuisse ait singularem, quo a prima inde juventute flagraverit, amorem legendi libros, qui, quales sint mores, leges, et jura regionum, exponant, quique institutiones ad has res pertinentes, uti et scientias, artes, gentium proprietates, et alia similia explicent. Idcirco se, ex ephebis egressum, legendos sibi sumsisse libros celebres et bonae notae, operaque Geographica praeclara et laudibus cumulata. Haec igitur omnia ad hunc librum conscribendum, et ad varios de illius argumento sermones conserendos, variasque proponendas quaestiones ipsum incitasse. Qua in re haud parum auxilii se habuisse testatur ex itinere, quod partim eo consilio instituit, ut in summa Principis injustitia, et insigni temporum calamitate, opes quas habebat, servaret; partim ut alias ad vitam sustentandam sibi compararet. Nam, ut supra animadvertimus, Bagdado profectus erat die quinto mensis Ramadhani anni 331 (Chr. 942 — 3), quo ipso mense Abou Mohammed al Hasan ibn Abd-allah ibn Hamadan, cognominatus Naser ad Daulah, e Turcarum manibus evadens urbem deseruit et Diar Rabiam petiit, postquam Bagdadi opes suas firmasse, ditionem amplificasse, rebusque suis promotis, ad summum ferocitatis fastigium pervenisse videbatur. Jam vero Ibn Haukalus tum erat in ipso flore et integritate juventutis.

Animus ipsi fuerat ad calcem libri, quem conscripsit, enarrare quomodo ipsum itinera quasi exhausissent, praesertim quoniam non itinere maritimo sed terrestri, totum orbem terrarum secundum ejus longitudinem peragraverat, et per ejus superficiem, qua solis radiis illustratur, profectus erat (135). Sic etiam enumerare constituerat exercitus

(135) Liberius transtulimus phrasin, quam hic usurpat auctor, silentio non premendam, وقطعت وتر الشمس علي ظهرها, *Et profectus sum secundum nervum solis super tergum* vel *superficiem ejus*, sc. terrae. Solis cursum semicircularem cum arcu comparat, cujus nervus est linea in terrae superficie ab oriente ad occidentem pertingens.

tus regionum, earumque reges et principes, potestate et auctoritate praeditos, et quid singulis in tractibus esset vel pulcritudine vel magnificentia excellens. Illud vero animi propositum se omisisse dicit, tum ne legenti operis longitudo fastidium crearet; tum praeterea quia hujus libri ratio intra regionum, quas nemo eorum, qui illas inviserant, descripserat, uti et montium, urbium, fluminum, marium et viarum delineationem debebat subsistere. Quae alias omnia huc illuc in historiis dispersa inveniuntur nec facile quaerenti se offerunt. Porro addit se initium fecisse a toto terrarum orbe, quem cingit Oceanus; et a situ cujusque regionis, quam commemoret, ejusque limitibus; ostendentem quam longe lateque pateant, quamque figuram habeant, rotundam, quadratam, triangularem, aliamve; quique sit situs singularum urbium inter se a parte septentrionali, australi, occidentali vel orientali. Quicunque igitur hanc suam regionum delineationem inspiciat, quaeque alia de earum rebus addidit, eum habiturum esse dicit, quod hac in re sibi satisfaciat. Quorum nonnullis fortasse dubitatio de terrae magnitudine et forma in hoc libro proposita oriatur, cum ipsi hac in re cum Al Djihanii et Ibn Khordadbehi libris non conveniat. Quod tanto magis ipsi condonatum iri sperat, quanto plus veritati studuerit, opusque ab ignorantium itineratorum mendaciis anilibusque fabellis purgaverit.

His aliisque absolutis, ordinem exponit Ibn Haukalus, quem in describendis variis regionibus secutus sit. Quae in praefatione indicatur rerum series, ea cum ordine, in ipso codice observato, convenit, si nempe illae partes, quas librariorum error male a se invicem divulsit, rursus ita conjungantur, ut supra indicavimus. Est autem illa regionum distributio hujusmodi. Post universi orbis terrarum conspectum, qui statim Praefationem sequitur, et quatuor paginis absolvitur, sc. p. 5—8., de Arabia primo loco exponit Ibn Haukalus, quoniam in ea est Caaba, et Mecca mater urbium p. 8—17. Tum ceterae regiones hoc modo sese excipiunt: Mare Persicum, p. 17—22, Africa p. 22—38, Hispania p. 38—42, Insula Siciliae p. 42—44, Aegyptus p. 44—52, Syria p. 52—64, Mare Mediterraneum p. 64—70, Mesopotamia p. 70—79, Iraca p. 79—84, Khouzistana p. 84—90, Persis p. 90—106. v. 1, dein p. 121. v. 11—123, Kermana p. 123—126. v. 7 extr., dein p. 128. v. 9—129, Sindia p. 129—133. v. 15 extr., dein p. 106. v. 1—107, Armenia, Irana et Adzerbeidjana p. 107—116, Regio montana p. 116—121. v. 11, dein p. 126. v. 7 extr. —128. v. 9., tandem p. 135. v. 2—7, Dailomis p. 135—140, Mare Khozarorum p. 140—147, Desertum inter Khorasanam et Persidem p. 147 extr., dein p. 133. v. 15 extr. —135. v. 1, tum p. 149—151, Sedjestana p. 151—159, Khorasana p. 159—173, denique Transoxana p. 173—199. Singulis his regionibus

tae

tabulam Geographicam adjecerat auctor, Hispania tamen et Sicilia exceptis; quamvis enim et orbis universi et reliquarum omnium regionum tabulis, in nostro codice spatia vacua relicta sunt, Hispania tamen et Sicilia ita sequuntur descriptionem Africae, ut nullo spatio vacuo, sed rubro tantum atramento, ab hac regione, et a se invicem, distinguantur. Quin et universe, si ea spatia, quae tabulis delineandis destinata sunt, aliasque nonnullas lacunas excipias, omnia uno quasi tenore decurrunt, nec nisi pauca novi cujusdam capitis dantur indicia. Si quae sint, constant literis paullo grandioribus, vel rubro atramento ductis, quod imprimis in initio codicis observatur. Sed ad reliquam praefationis partem revertendum est.

Post operis sui conspectum, brevem adhuc facit Ibn Haukalus enumerationem illarum regionum, ad quas Islamismus nondum pervenerat, veluti regionis Roum, quo pertinent Sclavi, Russi, Serberi (سرير), Alani, et Armeni, apud quos religio Christiana colitur; dein regni Sinae, quo Turcae omnes parsque Tibeti spectant, quae paganismo adhaerent; denique regni Indiae, cui annumerantur Sind, Kaschmir, pars Tibeti, et qui praeterea eandem religionis sectam sequuntur. Horum omnium in descriptione universi orbis terrarum brevem postea notitiam adjicit, fere convenientem cum iis, quae inveniuntur in Geographia Orientali p. 6—10. De Soudano autem in Occidente, et Badja et Zindjitarum terris, aliisque ibi sitis regionibus, se mentionem nullam fecisse dicit, quoniam harum incolae ordine constitutam rempublicam non habent, neque disciplinis et sapientiae ullam operam dant; nisi Soudani partem excipias, veluti Nubiam et Habessiniam, quae, quoniam aliis cultioribus locis adjacent, non amplius alienae sunt ab omni cultu humanitatis. Tandem praefationi suae finem imponit, observans se terram in duas partes divisisse, australem et septentrionalem; lineamque divisionis initium habere a mare Sinensi, et transire per Indiam, mediumque regnum Islamiticum, donec perveniat ad Aegyptum septentrionalem. Populos, qui septentrionales regiones incolunt, esse albos, et quidem eo candidiores quo magis ad septentrionem procedas, illorumque regionem esse frigidam; qui vero australes partes tenent, esse nigros, et eo nigriores quo magis ad austrum accedant; nigerrimos autem esse, qui sub aequatore degunt, vel ei sunt proximi. Deum vero haec singula optime noscere.

In hac animadversione Ibn Haukali praefatio, nostraque de ejusdem opere disputatio desinit. Qua absoluta, jam ad ipsam Iracae Persicae descriptionem, cum ex Ibn Haukalo tum ex aliis Geographis Orientalibus petitam, transeundum est.

خلاصة اخبار المسافر والعُجْم

في معرفة بلاد عراق العجم

صورة بلاد عراق العجم من كتاب المسالك والممالك
لابي القاسم محمد الشهير بابن حوقل

واما الجبال فانها تشتمل علي مياه الكرفة والبصرة وما يتصل بهما ما ادخلناه في اضعافهما * فحدها الشرقي الي مفازة خراسان وفارس واصبهان وشرقي خوزستان وحدها الغربي اذربيجان والشمالي بلاد الديلم وقزوين والري وانما تفرد الري وقزوين وابهر وزنجان عن الجبال وتضم الي الديلم لانها مختفية بجبالها علي التقويس وحدها الجنوبي العراق وبعض خوزستان*
وهذا صورة الجبال وبالله التوفيق في ورقة كاملة*

والجبال تشتمل علي مدن مشهورة ومعظمها همذان والدينور واصبهان وقم ولها مدن اصغر من هذه مثل قاشان ونهاوند والزور والكرج والبرج وسنذكر ما تقع الحاجة الي معرفته منها*
فاما المسافات بها فالطريق من همدان وهي مدينة كبيرة حسنة جليلة القدار لها انهار واشجار وعمل واسع وغلات من ساير وجوه الغلات وبها اهل تناية فيهم ادب وفضل ومروة وهي علي مر الاوقات رخيصة الاسعار كثيرة الاغنام والاجبان وضروب التجارة من الزعفران المتخذ بالروذراور عمل من اعمالها وبركوابه * الي اسداباذ وهي مدينة ايضا صالحة قوية الاهل واسعة الرساتيق والدخل خمسة عشر فرسخا ومن اسداباذ الي قصر اللصوص سبعة فراسخ وهي مدينة وفيها منبر استحدثه مونس المظفري ومن قصر اللصوص الي ماذران سبعة فراسخ ومن ماذران الي قنطرة النعمان خمسة فراسخ ومن قنطرة النعمان الي ابي ايوب قرية اربعة فراسخ ومنها الي بهستون جبل عظيم وقرية هناك تدعي ساسيان * وفي هذا الجبل المذكور كهف فيه الفرس المصور عليه كسري ويعرف بسنداد ومن بهستون الي قرميسين ثمانية فراسخ وهي مدينة لطيفة فيها مياه جارية وشجر وثمر ورخص واب وسايمة كثيرة وعيون مندفعة وخيرات وتجارات ومن قرميسين الي الزبيدية منزل صالح ثمانية فراسخ ومن الزبيدية الي مرج القلعة وهي مدينة عليها سور لطيف وهي لطيفة ولها مياه

مياه جارية واغنام كالمجان تسعة فراسخ ومن المرج الي حلوان مدينة قد مر ذكرها في وصف العراق لانها اول حدها من نواحي الجبال عشرة فراسخ *

الطريق من همذان الي الدينور فمن همذان الي ماذران اربعة فراسخ ومن ماذران الي ذاوذان اربعة فراسخ ومنها الي اسداباذ مدينة قد مر ذكرها تسعة فراسخ ومن اسداباذ الي صحنة تسعة فراسخ ومن صحنة الي الدينور ثمانية فراسخ فجميع ذلك اربعة وثلثون فرسخا *

الطريق من همذان الي الري فمن همذان الي ساوة ثلثون فرسخا وساوة مدينة علي ظهر طريق العراق صالحة الحال كثيرة الجماليين واكثر الحجاج يحجون علي جمالهم ومن ساوة الي الري ثلثون فرسخا *

الطريق من همذان الي اذربيجان فمن همذان الي نارستان عشرة فراسخ ومن نارستان الي اود ثمانية فراسخ ومن اود الي قزوين يومان وليس بين قزوين وهمذان مدينة ومن قزوين الي ابهر اثنا عشر فرسخا ومن ابهر الي زنجان عشرون فرسخا وكانت ابهر مدينة جليلة فاناخ عليها الاكراد وعلي تلك النواحي والديلم فتغيرت وهذا الطريق اولا كان المعروف فاما اذا قل امنهم فانهم ياخذون من همذان الي زنجان علي شهر * وبينهما دون ثلثين فرسخا *

والطريق من همذان الي اصبهان فمن همذان الي زامن سبعة فراسخ وهي مدينة صالحة الحال ومن زامن الي بروجرد احد عشر فرسخا وبروجرد ايضا مدينة صالحة الحال كبيرة اكبر من زامن واحسن حالا في جميع الوجوه ومن بروجرد الي الكرج عشرة فراسخ وهي ايضا مدينة فوق بروجرد من كثرة الاهل وسداد الاحوال ووجوه ما تدعو الحاجة اليه ومن الكرج الي البرج اثنا عشر فرسخا وهي ايضا مدينة حسنة الحال ومن البرج الي جوسجان منزل عشرة فراسخ ومن جوسجان الي اصبهان ثلثون فرسخا لا مدينة فيها *

ومن همذان الي خوزستان والطريق من همذان الي الروذراور سبعة فراسخ والروذراور اقليم حسن وناحية شريفة ينبت بها الزعفران الذي ليس بجميع الارض له نظير ومن الروذراور الي نهاوند سبعة فراسخ وهي مدينة جليلة كثيرة التجارة والرساتيق والعمارة ومن نهاوند الي لاشير عشرة فراسخ ومن لاشير الي الشابر خاش اثنا عشر فرسخا ومن الشابر خاش الي اللور ثلثون فرسخا لا مدينة فيها ولا قرية ومن اللور الي قنطرة ازدامشر مدينة فرسخان ومن قنطرة ازدامشر الي جندي سابور فرسخان ومن همذان الي ساوة ثلثون فرسخا ومن ساوة الي قم اثنا عشر فرسخا تقطع في يومين ومن قم الي قاشان اثنا عشر فرسخا وقم وقاشان مدينتان جليلتان كثيرتا الدخل علي السلطان والغالب علي قم التشيع وعلي قاشان الحشو ومن الري الي قزوين ثلثون فرسخا وليس لقزوين نظير في كثير من اعمال الجبال بل في كلها من لسان اهلها وتمكنهم من الادب ونفوذهم في العلم وتعلقهم بجميع وجوهه وتمسكهم

وتمسكهم قبل دخول الديلم عليهم باسباب المروات * والتفضل الي غير ذلك من احوال السيادة والكرم وعلو النفوس والهمم وكم خرج منها من نفس وعرف بالعراق وغيرها لهم من رجل رييس ومن همذان الي الدينور نيف وعشرون * فرسخا ومن الدينور الي شهرزور اربع مراحل ومن حلوان الي شهرزور اربع مراحل ومن الدينور الي صيمرة خمس مراحل ومن الدينور الي السيروان اربع مراحل ومن السيروان الي الصيمرة يوم ومن اللور الي الكرج ست مراحل ومن اصبهان الي قاشان ثلث مراحل ومن قم الي قاشان مرحلتان *

والمشهور من مدن الجبال ما ذكرته وهي همذان والروذراور وزامن وبروجرد والكرج وراونده ونهاوند وقصر اللصوص ونهر زرذروذ وهو نهر اصفهان يسير وهذه المدن عليه تسايره وتصحبه كاسداباذ والدينور وقرميسين والمرج وطرخونة وشهرزور وزنجان وابهر وسمنان وقم وقاشان وروده وبوسنه والكرج والبرج واصبهان وخان الابجان وبارمه ومدينة الصيمرة ونواحي سندان من دور الراسبي والطالقان *

ذكر احوالها ومقاديرها في ذاتها *

فهمذان مدينة كبيرة مقدارها فرسخ في مثله محدثة اسلامية ولها سور وربض وللمدينة اربعة ابواب حديد وبناوهم من طين ولهم مياه وبساتين كثيرة وزروع سيح وبخوس خصبة من جميع الخير كثيرة التجارات والمير *

والدينور فانها كثلثي همذان وهي ايضا مدينة كثيرة الثمار والزروع خصيبة وفيها مياه واهلها احسن طبعا من اهل همذان ومستشرف وان * قلت انها تزيد علي همذان من جهة اداب اهلها وتصرفهم في * واشتهارهم بذلك ومنهم ابو محمد عبد الله بن قتيبة الدينوري صاحب كتاب ادب الكاتب والمصنفات الكثيرة العجيبة وقد طعن قوم في بعضها فلم يسقط لاحسانه في اجلّها *

واصبهان مدينتان احداهما تعرف باليهودية والاخري شهرستانة وبينهما مقدار ميلين كقرطبة والزهرة متباينتان في كل واحدة منهما منبر واليهودية اكبرهما وهي مثلا * شهرستانة في الكبر وبناوهما من طين وهما اخصب مدن الجبال واوسعها عرصة واكثرها اهلا ومالا وتجارة وسابلة ونعما وخيرات وفواكه وطيبات وهي فرضة لفارس والجبال وخراسان وخوزستان وليس بالجبال كلها اكثر جمالا للحمولات منها ويرتفع منها القنابي والوشي وساير ثياب الابريسيم والقطن ما يجهز ذلك الي العراق وفارس وساير الجبال وخراسان وخوزستان وليس كقنابي اصبهان في الجودة والجوهرية وبها زعفران وفواكه تجلب الي العراق وساير النواحي وليس من العراق الي خراسان مدينة بعد الري اكبر من اصبهان *

والكرج مدينة متفرقة وليس بها اجتماع المدن وتعرف بكرج ابي دلف وكانت مسكنا له ولاولاده الي ان زالت ايامهم وبناوهم كبنا الملوك قصور عالية وابنية واسعة وفضا وفسحة ولها

زروع ومواشي وليس بها كثير بساتين ومتنزهات وفواكهم من بروجرد وغيرها وبناؤهم من طين وهي مدينة طويلة نحو فرسخين ولها سوقان علي باب مسجد الجامع احداهما وسوق اخري * وبينهما صحرا كبيرة وتصاقبهما الابنية والمنازل والمساكن والحمامات *

وبروجرد مدينة اتخذ فيها منبرا حمولة بن علي وزير آل ابي دلف وهي مدينة خصيبة كثيرة الخير تحمل فواكهها الي الكرج وغيرها حتي الي همذان والدينور وطولها اكثر من عرضها وطولها نصف فرسخ وبها زعفران كثير ايضا *

ونهاوند علي جبل وهي مدينة بناؤها من طين وفيها انهار وبساتين وفواكه كثيرة تحمل الي العراق لجودتها وكثرتها وبها جامعان احدهما عتيق والاخر محدث واليها يرتفع زعفران الروذراور وهو رستاق كبير عظيم يزرع فيه الزعفران مشهور المقدار والمكان والمنبر منه في موضع يعرف بكرج الروذراور وله قري كثيرة وهي مدينة صغيرة بناؤها من طين وهي خصبة بها مياه وثمار وزروع ويرتفع منها الزعفران ما لا يرتفع من غيرها من مدن الجبال فيجهز الي العراق والي ساير النواحي لكثرته وجودته *

وحلوان مدينة في سفح الجبل المطل علي العراق وقد صورناها في صورة العراق وبناؤها من طين وحجارة ايضا وهو نحو نصف الدينور ويكون الثلج منها علي فرسخين وكذلك منها الي الجبل وهي مدينة حارة فيها نخيل وشجر كثير موصوف ومياه واودية تتخرق في اعمالها ورمان موصوف وقد نالها اختلال في سورها *

واما الصيمرة والسيروان فمدينتان صغيرتان غير ان الغالب علي بنائهما الجص والحجر كمدينة الموصل في ابنيتها وفيها التمر الكثير والجوز والدستنبويه وما يكون في بلاد الصرود والجروم وفيهما مياه واشجار وزروع وهما نزهتان يجري الماء في دورهم ومحالهم *

وشهرزور مدينة صغيرة قد غلب عليها الاكراد وعلي ما قاربها ودني من العراق وليس بها امير ولا عامل وكذلك مدينة شهرورد خيراتها كثيرة وقد غلب عليها الاكراد وقدرها في رفعتها * كقدر شهرزور وكان اكثر اهلها الشراة فانتقلوا ومن سقطت نفسه ورضي بالهوان اقام لمحبة المنشا والاوطان وهما خصيبتان وعليهما سوران *

وقزوين مدينة عليها حصن وفي داخل المدينة جامعها وهي منهل للديلم وكانت في بعض ايام بني العباس ثغرا يغزون الديلم منه وبينها وبين مستقر ملك الديلم اثنا عشر فرسخا والطالقان اقرب الي الديلم منها وليس لقزوين ماء جار الا مقدار شربهم ويجري هذا الماء في مسجد الجامع في قناة وهو ماء وبيّ ولهم اشجار وكروم وزروع كلها عذي تزكوا حتي تحمل الي ما قاربهم وداناهم وكان لها اهل شراة لا يغبّهم الزوار والطراد وفيهم خير بالطبع واصطناع له ومنهم ابو القاسم علي بن جعفر بن حسان المتكلم علي مذاهب البصريين

البصريين والمتفلسف وممن يقال انه اذكي اهل هذا العصر واشدهم حفظا وهو عند صاحب خراسان وفي جملة من يتولى له الاعمال وخراسان منهم غير * رييس نفيس عالم فاضل *

عين نهاوند قال صاحب تحفة الغرايب بارض الجبال بقرب نهاوند عين في شعب جبل من احتاج الي الماء يسقي الارض يمشي اليها ويدخل الشعب ويقول بصوت رفيع اني محتاج الي الماء ثم يمشي نحو زرعه فالماء يجري نحوه فاذا انقضت حاجته يرجع الي الشعب عند العين ويقول قد كفاني الماء ويضرب برجله الارض فان الماء ينقطع *

وهذا من كتاب نشق الازهار في عجايب الاقطار تاليف ابي عبد الله محمد بن اياس *

سلطانية وهي مدينة جديدة بارض الجبال بين ابهر وزنجان بناها السلطان محمد بن ارغون خان سنة خمس وسبعماية فجات من احسن المداين وانشاء بها عدة مساجد وجوامع وصار بها البساتين والفواكه والازهار وحفر بها الابار واجري بها العيون وكان موضعها في قديم الزمان مصايد للملوك في اوان الصيف ولم يكن بها عماير ولا رود ومات السلطان محمد بن ارغون خان ولم يكمل عمارة هذه المدينة *

فراهان وهي قرية مشهورة بهمدان وبها بحيرة قدر اربعة فراسخ في اربعة فراسخ ومن خاصيتها ان

ان الناس اذا منعوا عنها ينعقد ماوها ملحا وان لم يمنعوا عنها يصير ماء كما كانت في الاول *

قرميسين وهي قرية من قري كرمان وهي بين همدان وحلوان قيل ان قباد بن فيروز احد ملوك الفرس نظر في بقاع الارض فلم يجد في البقاع اطيب هواء ولا اعذب ماء ولا اصح تربة من ارض قرميسين فاختارها وبني بها قصرا يقال له قصر اللصوص ومن عجايب هذه القرية ان كان بها دكة خشب طولها ماية ذراع وعرضها ماية ذراع وارتفاعها عشرون ذراعا كان يجلس عليها الملك ابرويز وحوله الجند وكانت هذه الدكة من العجايب في حسن صنعتها وكان ينسب الي هذه القرية الشيخ ابو اسحاق ابرهيم المعروف بشيبان القرميسيني وكان من الابدال *

قزوين اعلم ان هذه المدينة بالقرب من ارمينية وهي في فضاء من الارض وهي طيبة الهواء كثيرة البساتين وهي مدينتان احداهما في وسط الاخري وهذه المدينة انشاها شابور ذو الاكتاف وجدد بها هارون الرشيد سورا مانعا وجامعا كبيرا وذلك في سنة اربع وخمسين ومماية ومن العجايب ان مقصورة هذا الجامع في غاية الارتفاع وهي علي شكل بطيخة ليس لها مثال في الدنيا ومن العجايب ان بساتين هذه المدينة لا تسقي في السنة الا مرة واحدة ومن العجايب ان تراب مقابر اهل هذه المدينة ينفع لوجع بطون الدواب واذا حصل للدواب مغل تقاد الي مقابر اهل المدينة من عبادها من اليهود فيزول عنها المغل سريعا وهذا مجرب وينسب اليها الشيخ ابو بكر الشيباني والشيخ ابو القسم محمد بن عبد الكريم الرافعي وكان من امية الشافعية توفي سنة ثلاث وعشرين وستماية وعاش من العمر نحو خمسة وستين سنة ونشا بها الفاضل عبد الغفار صاحب كتاب الحاوي في الفقه وينسب اليها العلامة نجم الدين علي بن عمر الكاتبي صاحب الطوسي وله مصنفات حسنة في الحكمة والمنطق وغير ذلك — واليها ينسب الشيخ زكريا بن محمد بن محمود القزويني صاحب كتاب عجايب المخلوقات وغيره من العلماء *

قرية كركان وهي بالقرب من قرميسين وكان بها قوم لا يطلع لهم دقون قط *

ناووس الظبية وهي قرية من قري همدان عند قصر بهرام جور علي تل عال وحوله عيون وبساتين وهي كثيرة الفواكه والثمار وسبب تسميتها بناووس الظبية ان بهرام جور رمي ظبية ببندقة اصابت اذنها فرجعت وهي تحك اذنها برجلها فانتزع بهرام جور سهما من جعبته ورماها به فخاط ظلفها باذنها فانصرعت هناك فسمي ناووس الظبية *

نهاوند وهي مدينة بالقرب من همدان وهي من المدن القديمة يقال انها من بناء نوح عليه السلام

السلام وكان بها حجر كبير وفيه نقب من تحته يفور منه الماء كل يوم مرة فيخرج وله صوت عظيم فيسقي تلك الاراضي ثم يتراجع حتي يدخل حيث اتي منه ومن عجايبها ان بها وردا ازرق وفيه نقطة صفرا في وسطه ذكي الرايحة وبها قصب الذريرة وهو بمنزلة الخشب لا رايحة له فاذا خرج من نهاوند فاحت له رايحة غريبة *

همدان وهي مدينة واسعة الاقطار عامرة الديار قيل بناها همدان بن فلوج بن شام بن نوح عليه السلام وكانت اربع فراسخ في مثلها وهي الان خراب لم يبق بها الا الرسوم وبعض دور وكان هواوها معتدلا وماوها عذبا ولم تزل سرير الملوك لاجل خصبها وكثرة فواكهها ومياهها ومن سكن بها يذهب عنه الحزن ولو كان ذا مصاب والغالب علي اهلها اللهو والطرب لان طالعها بالثور وهي بيت الزهرة واهلها الغالب عليهم البلادة ويحكي ان دارا الاكبر لما خرج الي محاربة الاسكندر اقام بهمدان وحصنها فلما حاربه الاسكندر فتح هذه المدينة عنوة وقتل دارا وهدم سور المدينة وكان بها من العجايب طلسم علي هية الاسد علي باب المدينة وهذا الطلسم من عمل بليناس الحكيم بسبب البرد ومنع وقوع الثلج عليها وهذه المدينة شديدة البرد كثيرة الثلوج وفي ذلك يقول ابن خالوية الشاعر شعرا

همدان متلفة النفوس ببردها والزمهرير وحرها مامون
غلب الشتا مصيفها وخريفها وكانما تموزها كانون

واليها ينسب البديع الهمداني شاعر بغداد واليها ينسب ايضا ابو الفضل صاحب كتاب سباق العنايات توفي سنة ثمان وتسعين وثلثماية وكان بهذه المدينة عين ماء حارة تخرج من شعب جبل وتجتمع في حوض هناك فيقصدون اليها من بهم جذام ويستحمون من ذلك الماء فيبرون سريعا *

وهذا من كتاب نخبة الدهر في عجايب البر والبحر تاليف شمس الدين ابي عبد الله محمد بن ابي طالب الانصاري *

الفصل السادس من الباب السابع في وصف عراق العجم وما هو مقرب عنها الي اخر حدود عراق العرب من المشرق الي المغرب فيما حازه واحتوشه اخر الاقليم الثاني والثالث والاقليم الرابع فمن ذلك بلاد الجبل وعيس بلاده اصفهان وهي مدينتان احدهما قديمة قد خرب اكثرها وتسمي شهرشانة والاخري عامرة وتسمي اليهودية وبينهما مقدار ميل وسميت بذلك

بذلك لان بختنصر لما جلا اليهود عن بيت المقدس اسكنهم فيها ولها عمل يشتمل علي تسعة عشر رستاقا وفيها ما يزيد علي ثلثماية قرية محيطها ثمانون فرسخا في مثلها ولها نهاوند من بلاد الجبل ويسمي ماه الكوفة اي قمر الكوفة وسميت بذلك لحسنها وعمارتها ويقال ان نوحا بناها ولها اربعة وعشرين رستاقا اعظمها روذرورد ولها قصبة تسمي كرخ وهي كرخ ابي دلف العجلي وهمدان يقال انها خربت وجددت في الاسلام وازدرستثان * علي طرف البرية وبروجرد وكرخ ابي دلف علي اثر بنا قديم تم كورها المعتصم علي اربعة رساتيق ومدينة قم كورها الرشيد وجعل اثنين وعشرين رستاقا وكان مكانها تسع قري فجمعت وصارت محالا وكان اسم احدي القري كميان فاسقطوا بعض الحروف للاتجاز والاختصار وابدلوا الكاف قافا وقاشان ويقال انها من بنا قاشان بن الضحاك وقزوين ويقال انها معربة من كشوين وقرميسين ويقال انها معربة من قرمسان وماسندان ايضا ويقال انها بين جبال اشبه بجبال مكة شرفها الله تعالي وراوند بناها راوند بن الضحاك والشميري وتسمي مهرجان ولبود وتسمي قصر اللصوص وشهرزور متاخمة الموصل يقال ان بناها زور بن الضحاك وكلمة شهرزور اي بلد زور وابهر وزنجان وهما مما يلي اذربيجان وخوثان وخثوان وكانت قيل معدودة في عراق العرب ويقال ان اسمها الوان وتصاقب لبلاد الجبال والري وكانت مقر ملك بني بويه ومعني الري الحسن وتسمي ام فيروز وتسمي المحمدية لان محمد بن المهدي اقام بها زمن ابيه وبنا جامعها في سنة ثمان وخمسين وماية ولها من الاعمال قومص وفيه من المدن الدامغان وسمنان وبسطام والانبار وفيه حصون الملاحدة وهم الاسماعلية واعظم حصونهم الالموت وفيه كان يسكن كبيرهم وتنسب اليه الالة التي تسمي سكنجيل وهو صورة قفص وبوجهه اوتار عشرة وبوجهه مجري السهم يرمي به الي العدو ويكون نصله ثلاثة ارطال مشقية الي ما دونها وتكون الاوتار العشرة داخلة الطرفين في حلقتين محكمتين ولك ذلك معروف واذا انقطع شعر في الشعور والاوتار بطل حكم السكنجيل الي ان يشد له وتر في الشعر غير ذلك في مدة يومين او دون ذلك وان تكون الحلقات مفتوحات وكل واحد منها ثلثا حلقة كالهلال المجموع الطرفين ⌶ ⌶ فاذا انقطع وتر كان وتر مهيا ادخله موضعه في اسرع وقت في غير عطلان وهي الة يحتاج اليها اهل الحصون ومن حيله ايضا انه كان يصنع صورة صندوق مربع مستطيل في الكاغذ ولصق صفحاته بالورق بعضه علي بعض بحيث يكون سمكه يحجب الهوي ويستر من روية النور في الليل فاذا طبقه في جهاته الستة فتح فيه في سايرها صورة كتابة بمقص يقرضه قرضا بحيث تبقي فرد طباق من الورق لم يقرض ثم يدهن الذي لم يقرض بشيرج حتي يعطي النور ثم يجعل في الصندوق سراجا فتظهر الكتابة

الكتابة احرق نورانية يقراها الناظر عن بعد في الهوي بعد تعليقه للصندوق علي راس رمح او علي مكان عال فلا يعلقه الا بالليل فيخيل لمن يراه علي بعد انه كتابة نورانية ويطفيه بالنهار ويخبيه *

نهر اصفهان ويسمي زندرود منبعه من جبل الي بعض رساتيقها ثم يتخلل جميع ما هو مضاف اليها من الرساتيق ويعمها ويغمرها ثم يفيض في رمل بعد ان يجري سبعين فرسخا فيسقي ارضها ثم يصب في البحر الفارسي *



SELECTAE NARRATIONES VIATORUM ET INTELLIGENTIUM AD COGNITIONEM IRACAE PERSICAE PERTINENTES.

DESCRIPTIO IRACAE PERSICAE EX LIBRO VIARUM ET REGNORUM ABOU'L KASEMI MOHAMMEDIS, QUI VULGO IBN HAUKAL APPELLATUR.

Regio Montana continet Mah al Coufa et Mah al Basra, et quidquid cum his conjunctum et a nobis ad ambas istas urbes relatum est. Ejus termini versus orientem sunt desertum Khorasanae, Persidis, Ispahanis, et pars orientalis Khouzistanae. Termini occidentales sunt Adzerbeidjana, septentrionales regio Dailomitica, urbesque Kazwin et Raya. Solent autem Raya, Kazwin, Abhar et Zandjan a Regione Montana sejungi, et ad Dailomitidem referri, quoniam hujus montibus circumquaque teguntur. Limites vero australes constituunt Iraca et pars Khouzistanae. p. 8

Haec autem est effigies Regionis Montanae, Deo juvante confecta, in integro folio.

Regio Montana continet urbes celebres. Inter has primariae sunt Hamadan, Dainawar, Ispahan et Kom. Sunt vero etiam oppida his minora, veluti Kaschan, Nahawend, al Zour, al Caradj et al Bordj. Nunc autem exponemus quae de Regione Montana scitu necessaria sunt.

Jam vero quod ad distantias in ea attinet, primum ab Hamadane, urbe magna, pulcra, potentissima, cui sunt fluvii, arbores, ditio ampla, et varia proventuum genera, quam inhabitat populus, cujus humanitas, bonitas et fortitudo de principatu inter se decertare videntur: in qua urbe, quovis anni tempore, est annonae vilitas, quaeque ovibus caseisque, et vario mercimoniorum genere, atque inter alia croco abundat, qui in Roudzrawaro, tractu ad ejus ditionem pertinente, uti et in Rakwaba colligitur; (*ab hac inquam urbe*) ad Asadabad, urbem ipsam quoque florentem, civibus validam, amplissima ditione multos vicos complexam et reditu divitem, via est quindecim parasangarum. Ab Asadabade ad Kasr al Losous (sive *castellum latronum*),

num), urbem, in qua cathedra Mounesi al Modhafferii jussu exstructa est, septem sunt parasangae. A Kasr al Losouso ad Madzaran septem sunt parasangae. A Madzarane ad Kantharat al Noöman (sive *pontem Noömani*) quinque parasangae. A Kantharat al Noömano ad vicum Abou Ayoub quatuor parasangae. Inde ad Behistoun, montem magnum, cui propinquus est vicus Sasian dictus .... In hoc monte est spelunca, in qua equi simulacrum Sendan appellati, cui insidet Chosroës. A Behistoune ad Karmisin octo sunt parasangae. Est vero Karmisin urbs egregia, aqua fluviali, arboribus, fructibus, annona, pratis, gregibus multis, fontibus aquam longe lateque diffundentibus, bonis denique variis, et mercimoniis praedita. A Karmisine ad Zobeidiam, diversorium commodissimum, octo sunt parasangae. A Zobeidia ad Mardjum castellum, sive urbem egregio muro cinctam, novem sunt parasangae. Est etiam haec urbs ornatissima, aquam habens fluvialem, et pecudes adeo frequentes, ut nullo paene vendantur pretio. A Mardjo ad Holwan, urbem, cujus mentio in descriptione Iracae jam facta est, quoniam in hujus regionis extremo limite, Iracam Persicam spectante, jacet, decem sunt parasangae.

Via ab Hamadane ad Dainawar. Ab Hamadane ad Madzaran quatuor sunt parasangae. A Madzarane ad Dzawadzan etiam quatuor parasangae. Hinc ad Asadabad urbem, cujus mentio praecessit, novem parasangae. Ab Asadabade ad Sahnam iterum novem parasangae. A Sahna denique ad Dainawar octo sunt parasangae. Atque omnes hae parasangae simul sumtae efficiunt triginta quatuor.

Via ab Hamadane ad Rayam. Ab Hamadane ad Sawam triginta sunt parasangae. Sawa autem, in via Iracae sita, urbs est florens, multosque habens camelos, quibus plurimi peregrinatorum sacrorum utuntur. A Sawa ad Rayam triginta sunt parasangae.

Via ab Hamadane in Adzerbeidjanam. Ab Hamadane ad Naristan decem sunt parasangae. A Naristane ad Awdum octo parasangae. Ab Awdo ad Kazwin biduum est; inter Kazwin autem et Hamadan nulla est urbs. Et a Kazwine ad Abhar duodecim sunt parasangae. Ab Abhare ad Zandjan viginti sunt parasangae. Abhar urbs erat celebris; sed cum apud eam, nec non in tractu adjacente, et regione Dailomitica, Curdi consedissent, omnino in pejus mutata est. Antea enim haec via celebratissima fuit, sed postquam ipsorum (*itineratorum*) securitas imminuta est, Hamadane ad Zandjan proficiscuntur juxta Schehr. Est autem inter duas has urbes spatium minus quam triginta parasangarum.

Via ab Hamadane ad Ispahan. Ab Hamadane ad Zaman urbem egregiam septem sunt parasangae. A Zamane ad Beroudjird undecim parasangae. Beroudjird etiam urbs est florens et magna, major quidem Zamane, et in omnibus rebus conditione felicior. A Beroudjirde ad Caradj decem sunt parasangae. Caradj autem superat Beroudjird fre-

quen-

quentia incolarum, statu felici, rerumque necessariarum abundantia. A Caradjo ad Bordjum, urbem lauta in conditione versantem, duodecim sunt parasangae. A Bordjo ad diversorium Djousadjan decem parasangae, et a Djousadjane ad Ispahan triginta parasangae; nulla enim inter has urbs interjacet.

(Via) ab Hamadane in Khouzistanam. Via ab Hamadane ad Roudzrawar est septem parasangarum. Roudzrawar tractus est pulcer, et regio celebris, in qua crocus crescit, sui similem in toto terrarum orbe non habens. A Roudzrawaro ad Nahawend urbem celebrem, mercimoniis, vicis et domibus frequentem, septem sunt parasangae. A Nahawende ad Laschir decem parasangae. A Laschire ad Schabour Khaschum duodecim parasangae. A Schabour Khascho ad Lourum, nullo oppido pagove interjecto, triginta parasangae. A Louro ad urbem Kantharat Azdamaschar duae parasangae. A Kantharat Azdamascharo ad Djondi-Sabour itidem duae parasangae. — Ab Hamadane ad Sawam triginta parasangae; at a Sawa ad Kom duodecim, quas facile biduo conficias. A Kome ad Kaschan duodecim parasangae sunt. Kom vero et Kaschan duae urbes sunt celebres, e quibus Sultanus magnos reditus percipit; sed potior pars incolarum urbis Kom Schiitae sunt, cives vero urbis Kaschan homines plebeji et inferioris ordinis. — A Raya ad Kazwin triginta parasangae sunt. Nulla autem urbs in plerisque Regionis Montanae partibus, quin ne in tota quidem illa provincia, cum Kazwine comparari potest, propter incolarum eloquentiam, humanitatis excellentiam, omnisque generis artium et disciplinarum, et antequam Dailomitae ipsos invaderent, rerum quoque bellicarum studium, et in aliis quoque rebus, ad ingenii principatum pertinentibus, ut generositate et animi cogitationumque magnitudine, praestantiam. Quot exstiterunt Kazwine, qui in Iraca et alibi in pretio habentur et celebrantur, viri principes! Ab Hamadane ad Dainawar sunt plus quam viginti parasangae. A Dainaware ad Schahrazour quatuor stationes. Ab Holwane ad Schahrazour etiam quatuor stationes. A Dainaware ad Saimaram quinque stationes. A Dainaware ad Sirwan quatuor stationes. A Sirwane ad Saimaram unus dies. A Louro ad Caradj sex stationes. Ab Ispahane ad Kaschan tres stationes. A Kome ad Kaschan duae stationes. Urbes Regionis Montanae celebres sunt illae, quas memoravimus, sc. Hamadan, Roudzrawar, Zaman, Beroudjird, Caradj, Rawendeh, Nahawend, Kasr al Losous. Fluvius Zardroud, sive fluvius Ispahanis exiguus est, quamvis urbium ipsi adjacentium cives per eum commeënt ejusque usu fruantur. Earum nomina hic sequuntur, Asadabad, Dainawar, Karmisin, Mardj, Thararkhouna, Schahrazour, Zandjan, Abhar, Samanan, Kom, Kaschan, Roudah, Bousanah, Caradj, Bordj, Ispahan, Khan al Abdjan, Baramah, urbs Saimara et tractus Sindani, qui ex ditione sunt Rasabiae et Thalakanis.

Ipsius conditionis Regionis Montanae ejusque potestatis expositio.

 Ha-

Hamadan urbs est magna, parasangam longa et lata, recens condita, Islamitica. Urbs habet murum, suburbium, et quatuor portas ferreas; ejus vero domus ex luto confectae sunt. Incolae habent aquam, et multos hortos, et segetes, tum qui aquae rigatione indigent ut fructus proferant, tum qui eâ carere possunt. Urbs abundat omnibus bonis, et referta est mercimoniis multis et commeatu.

Dainawar duos trientes Hamadanis magnitudine complectens, etiam urbs est abundans fructibus et arvis, aquisque et multo proventu pollens. Ejus incolae melioris sunt indolis quam Hamadanenses et gloriae studio ducuntur. Dico autem hanc urbem Hamadani praestare propter incolarum humanitatem et dexteritatem famaeque excellentiam. Ex ea oriundus est Abou Mohammed Abd-allah ibn Kotaibah Dainawarensis, auctor libri de Institutione scribae, aliorumque operum multorum et mirabilium. Fuere tamen, qui nonnulla eorum loca graviter reprehenderent; neque vero illud effecerunt, ut illius scripta negligerentur, cum optima quaeque eorum absolutissime elaborasset.

Ispahan constat duabus urbibus, quarum altera vocatur Yahoudia, altera Schahrestana. Spatium duorum milliarium a se invicem distant, et instar Cordubae et Zahrae, segregatae sunt. Utraque suggestum habet, Yahoudia magnitudine quidem Schahrestanam vincit, nec tamen ipsam multum superat. Earum domus ex luto confectae sunt. Interim haec duo oppida proventuum ubertate, et spatii amplitudine, et civium, opum, mercium viatorumque frequentia, omniumque delitiarum, bonorum, fructuum et cupediarum affluentia omnia reliqua oppida Regionis Montanae antecellunt. Est itinerantium statio Persidi, Regioni Montanae, Khorasanae et Khouzistanae. Nec etiam in tota Regione Montana plures sunt cameli oneribus gerendis destinati, quam in hac urbe. Ex ea cannabis, et vestis, Waschi dicta, aliaque indumenta serica peregre avehuntur: sed gossypium non item ad Iracam, Persidem, universam Regionem Montanam, Khorasanam et Khouzistanam defertur, quoniam bonitate et substantia non aequat cannabim Ispahanensem. Ibi crescunt crocus et fructus, qui ad Iracam, ceterosque tractus deferuntur. Neque est ab Iraca ad Khorasanam usque urbs Ispahane major, si Rayam excipias.

Caradj urbs est unica, nec ditione sua plures urbes complectitur. Vocatur etiam Caradj Abou Dolafi, quoniam ipsi ejusque posteris sedes fuit, donec tempus eorum praeteriit. Horum domus sunt domibus regum similes, alta nempe castella, et aedificia ampla, atria areaeque capaces. Incolae habent segetes et pecora, non vero multos hortos, et loca amoena. Fructus ex Beroudjird aliisque regionibus advehuntur. Domus hujus urbis luto constant. Est autem haec urbs duas circiter parasangas longa, ha-

ben-

tetque duo fora, alterum ad portam templi majoris, alterum alibi (?). Inter duo haec fora area est magna, et aedificia, diversoria, habitacula et thermae his prope adjacent.

Beroudjird urbs est, in qua suggestum condidit Hemoulah ibn Ali Vezirus familiae Abou Dolafi. Haec urbs magnum habet proventum, multa bona. Ejus fructus deferuntur ad Caradjum aliasque urbes, ad Hamadan usque et Dainawar. Ejus longitudo, quae est dimidii fere parasangae, latitudinem superat. In ejus agro crescit etiam magna croci copia.

Nahawend urbs est in monte sita, cujus domus pariter ex luto constant. Habet flumina et hortos. Ejus fructus plurimi sunt et in Iracam deferuntur propter ipsorum bonitatem et multitudinem. In ea duo sunt templa majora, alterum antiquum, alterum recens. Ad eam congeritur crocus Roudzrawari, tractus magni et ampli, in quo seritur crocus celeber copia, et loco, ubi crescit. Ejus suggestus est in loco dicto Caradj Roudzrawar. Habet multos pagos. Ipsa urbs parva est, ejusque aedificia (*ut dixi*) ex luto confecta sunt, sed magnum habet proventum, et aquam, et fructus et segetes. Ex ea tanta croci vis aufertur, quanta ex nulla urbe Regionis Montanae, et mittitur in Iracam aliosque tractus, propter ejus multitudinem et bonitatem.

Holwan urbs est sita in radice montis Iracae imminentis. Hanc jam delineavimus in tabula Iracae. Ejus domus partim luto constant, partim lapidibus. Aequat fere dimidium Dainawaris. Duabus ab urbe parasangis nix reperitur, tantum enim ad summum usque montem viae est. Attamen ipsius oppidi aër calidissimus est, ita ut ibi sint palmae, et multae arbores insignes proveniant et mala punica praestantia (nam fluvii et torrentes permeant ejus ditionem); urbis vero moenia detrimentum passa sunt.

Saimara et Sirwan duo oppida sunt parva; aedificia tamen magnam partem sunt ex gypso et lapide constructa, quemadmodum domus in urbe Mausalae. In iis fructus sunt multi, uti et nuces et aromata, et quaecumque inveniuntur in regionibus frigidis et calidis. Habent etiam flumen, arbores et segetes, ita ut ambo loca sint amoenissima, quorum domus vicosque aqua perfluit.

Schahrazour urbs est parva, quam, una cum regionibus adjacentibus et Iracae propinquis, Curdi occupaverunt. Nullus in ea est princeps neque praefectus. Sic etiam urbem Schahraward, pariter bonis abundantem, Curdi aggressi sunt. Ejus robur, quemadmodum illud urbis Schahrazour, ab ejus situ in edito collo repetendum est. Plerique ejus civium Schismaticorum sectam profitebantur, et (*Curdis invalescentibus*) emigrabant; sed cujus animus deficiebat, et cui quies placebat, is amore soli, in quo et educatus erat et vitam degerat, remansit. Utraque urbs magnum habet proventum, utramque murus cingit.

Kaz-

Kazwin urbs arcem munitam, et intus templum habens, locus aquationis (?) est Dailomitis. Tempore Abbasidarum aliquando fuit confiniorum statio, ex qua irruptiones faciebant Dailomitae. Inter eam et sedem regni Dailomitici duodecim sunt parasangae. Al Thalakan Dailomitidi propinquior est quam Kazwin. Non autem est huic urbi aqua fluvialis, nisi quantum bibendo sufficit. Haec aqua usque in templum majus per canalem procedit, et est insalubris. Habent vero arbores, vites et segetes; quae omnes non nisi aqua pluviali rigantur, et ubi adoleverunt (?), ad regiones circumjacentes deportantur. Ejus cives etiam ipsi ad haereticos pertinent, quibus nec inimici, nec qui violentas manus inferant, umquam desunt. Egregiis naturae dotibus excellunt, quibus scite uti solent. Kazwinensis est Abou'l Kasem Ali ibn Djafar ibn Hasan, qui in Metaphysica Basrensium et Philosophorum placita sequitur, quemque hujus quidem aetatis hominum acutissimum esse maximeque memoria valere dicunt. Versatur apud Principem Khorasanae, et inter eos censetur, qui provinciis illius cum imperio praefecti sunt. Praeter hunc etiam alii Kazwinenses viri principes et in pretio habiti, doctrinave et ingenio excellentes, in Khorasana reperiuntur.

Kom urbs est muro cincta et proventu abundans. Incolae aquam ex puteis hauriunt, illamque, qua hortos suos rigant, camelorum ope afferunt. Crescunt ibi fructus, et arbores pistaciae, et nuces avellanae. Neque in illis tractibus avellanae praeterea exstant, nisi in urbe Laschir, ubi multae inveniuntur. Neque in tota Regione Montana palmae sunt, nisi in Saimara, Sirwane, et in Saïr Haseb. Palmae hae parvae sunt, sed propter vicinitatem Iracae praestantes. Universi incolae urbis Kom Alidarum partibus addicti sunt, nec alius sectae quemquam sibi admixtum habent, maximamque partem sunt Arabes.

Kaschan urbs est parva, quae domibus constat ex luto factis, instar urbis Kom et reliquarum urbium Regionis Montanae, quas memoravimus, praeter Rayam, quae (*domus*) ex gypso confectas habet.

Omnes autem hae urbes nitidae sunt et sibi invicem propinquae. Neque etiam in tota Regione Montana lacus est parvus magnusve, nec ibi ullus est ad lacum meatus, et ne fluvius quidem navigiis (*majoribus*) ferendis idoneus; nisi duo flumina excipias, inter montes Mesopotamiae erumpentia, qui ex tractibus Armeniae juxta montes Dasek se extendunt. Haec duo Zabi vocantur. Sed quamvis illa ex Regione Montana exeant, ad eam proprie pertinere non videntur, quoniam in Tigridem defluunt, in eumque sese effundunt. Vidi utrumque, eorumque egressum e montibus Mesopotamiae, inter Adzerbeidjanam et ditionem Mausalae sitis.

Major autem pars urbium memoratarum, et tractuum Regionis Montanae, quos de-

descripsimus, alta est, excelsa, et aspera adituque difficilis, praeter eam, quae inde ab Hamadane usque ad Rayam et Kom sese extendit. Ibi enim montes pauci sunt. Idem de eo tractu valet, qui altos montes circumjacet, et inde a terminis Schahrazouris usque ad Amidam inter fines Adzerbeidjanae, Mesopotamiae, ditionemque Mausalensem porrigitur. Et hoc quidem ejus longitudinem spectat. Saepe autem in ejus latitudine spatia dantur triginta vel quadraginta plus minusve parasangarum, in quibus ne unius quidem diaetae intervallum per planitiem proficiscaris. Hi autem montes habitantur et frequentantur a Curdis Hamiditis, Aditis, Mahranitis, aliisque ex Curdis Schahrazouris, usque ad Holwan, Saimar, Sirwan, Lour, Ispahan, et terminos Persidis, (*tum*) redeundo per Kaschan, ad Hamadan, donec desinas ad Kazwin et regiones Dailomiticas. Porrigunt autem se in Adzerbeidjanam tractus montani, partim confragosi, partim plani, partim alti usque ad montem Al Kabak, montesque Khorremaeorum. Horum montium radices, a tractu Schahrazouris ad ditionem Kaschanis et fines regionis Khouzistanae, vocantur duo Mah, Mah al Coufa et Mah al Basra. Montes Dailomitidem spectantes isti regioni attribuuntur, quamvis per se considerandi sint, et reges sibi proprios habeant. Continua autem serie montes a latere orientali decurrunt a Thabaristana et Djordjana, usque ad occidentale latus et Adzerbeidjanam, nulloque intervallo dirimuntur, quo seorsim dignoscantur. Ipsa autem Dailomis aliquando ad ditionem Khorasanae, aliquando ad Adzerbeidjanam relata est. Raya urbs est, qua post Bagdadum in Oriente nulla est incolis frequentior; quamvis Nisabour eam magnitudine superet, et ditionis amplitudine; si vero spectes domorum haud interruptam seriem, proventûs abundantiam, opulentiam, et incolarum frequentiam, utique haec multo cultior est. Parasangam cum dimidia longa est ac lata, et major pars habitationum constant luto.

Inter montes autem horum tractuum celebres, mons est Dainawend, ita altus ut, secundum ea quae mihi relata sunt, ad distantiam quinquaginta parasangarum conspici possit, neque etiam accepi aliquem eum adscendisse. Multae de eo fabulae narrantur; in his, praestigiatores ex omnibus orbis terrarum partibus huc se conferre solere.

Mons Behistoun est inaccessus, neque ad ejus quoque fastigium perveniri potest. Via peregrinatorum sacrorum Nisaboure ad Holwan per ipsum montem ejusque radices ducit. Nonnullis in locis inde a vertice ad radicem usque glaber est; imprimis Rayâ Holwan pergenti hanc speciem prae se fert, quasi exsculptum foret inde a terrae superficie per multarum orgyiarum spatium. Narrat autem, si bene memini, Amrouus ibn Bahar al Djahith in suo libro de regionibus (quod illius opus multum valet ad urbes majores vel provincias cognoscendas), quemdam Chosroëm in hujus montis cavitate locum foro aptum facere voluisse, ut imperii sui et potestatis magnitudinem indicaret; atque in dorso hu-

hujus montis, in ea parte nempe, quae viam in Iracam ducentem spectat, locum esse cavernae similem, in quo sit fons aquae fluentis; atque ibidem inveniri effigiem equi, omnes imagines pulcritudine superantem. Narrant autem hanc statuam esse equi, cognomine Sindan, cui insideat Chosroës ex lapide exsculptus, uti et speciem ejus uxoris Schirinae (*in*) tecto speluncae. Et narravit mihi aliquis, qui praesens rem vidit, in hoc monte supra speluncam, sed longo spatio inde remotam, effigiem esse ludi literarii, magistri, puerorumque, ex lapide confectam, atque magistrum manu tenere lori speciem, quo (*pueri*) verberari solent; atque se ibidem vidisse dicit culinam, et coquum stantem, ollasque in sustentaculis suis dispositas, paratas, et excavatas (?) atque in coqui manu cochlear lapideum. Neque in his tractibus alius mons celebratur, praeter eos quos memoravimus.

At vero mons Sailan, qui urbi Irdebili imminet, me judice, major est monte Dainawend, nisi quod iste separatus sit a montibus circumjacentibus, quo fit ut Sailan altitudine et eminentia eo inferior esse videatur, nec quemquam vidi qui ad ejus fastigium adscendisset. Mons Al Djerts apud Irdebil utroque major est.

Inter montes vero Khorramaeos mons est eminens, in quo secta habitavit Khorremitarum, inter quos Babec numeratur. Vicatim templa habebant Koranumque legebant: quamvis illis falso objiciatur, quod eum negligerent et corrumperent, nec inter suos ullum religionis praeceptum, praeter bonorum communionem, profiterentur. Pecuniam populus iste auream et argenteam simul signabat, at majorem tamen partem auream. Haec autem gens, sublato Babeco, prorsus deleta est.

Quod ad pondera attinet, quibus in Regione Montana utuntur, Mina Hamadanis et duorum Mah est quadringentorum Dirhemorum. In tota regione fodinam auri argentive nullam cognovi, at haud procul Ispahane est fodina stibii Persidi adjacens. Imprimis autem pecoribus abundare student incolae Regionis Montanae, propterea quod lacte et eduliis inde confectis frequenter utuntur. Caseus etiam in Iracam, Persidem, et alias provincias defertur, laudaturque ob praestantiam.

Caput imperii et regia sedes hoc nostro tempore est Rayae, quoniam ejus rex Abou Ali al Hasanus ibn Bouya ibi versari atque degere solet, ibique commorari constituit. Tota ipsi paret provincia, ejusque reditus omnes ad eum pertinent, unde ad eum deferuntur vicies centena millia aureorum, si his accenseas tributum hominum, praefecturae quidem Ispahanicae vicinorum, sed revera in Perside degentium.

EXCERPTA

EXCERPTA EX LIBRO AL MOSCHTAREK ABOU ABD-ALLAE YAKOUTI IBN ABD-ALLAH GRAECI, COLLECTIONEM EXHIBENTIA URBIUM ET PAGORUM IRACAE PERSICAE.

Aabah, cum hamza fathata, elif meddata, et be fathata, oppidum inter Hamadan et Rayam, prope Sawam, vulgo Awah dictum. Ejus incolae sunt Schiitae, sed cives Sawae sunt Sunnitae; propter quem in religione dissensum, perpetuo bellum inter eos flagrat. Ab hac urbe cognomen traxerunt Abou Mansour ibn al Hasan Aabita, auctor libri Sparsio Margaritarum inscripti, et Chronici Rayae, Vezirus Madjd-ad-Daulae ibn Fakhr-ed-Daulah ibn Rocn-ed-Daulah ibn Bouya; ejusque frater Abou Mansour Mohammed, Vezirus Regis Thabaristanae. Refert etiam Assemani Aabam quamdam esse in ditione Ispahanensi, quam equidem ignoro.

Aberkouh, cum fatha hamzae et be, quiescente re, kaf dhammata, waw quiescente, et he sine punctis. Persae vocant Warkouh, q. d. Altitudinem montis; sed Aberkouh significat nubem montis. — Abou Saäd Assemani dicit Aberkouhum esse oppidum in tractibus Ispahanis, viginti parasangas ab eo distans. Ab eo cognomen habet Abou'l Hasan Hebat allah ibn al Hasan ibn Mohammed Aberkouhita, Jurisconsultus. Sed ego credo hanc urbem ad Persidem pertinere. Deus vero hoc optime novit.

Abhar, cum hamza fathata, be quiescente, he fathata, et re. Persae dicunt Awhar. — Urbs est magna et celebris, inter Kazwin et Zendjan, in Regione Montana. Ex ea prodiit magna copia Jurisconsultorum Malekitarum et Schafeïtarum, item traditionis auctorum, in his, Abou Becr Mohammed ibn Abd-allah ibn Mohammed ibn Saleh Temimita, Malekita, Abharita, anno natus 239 (Chr. 853—4), defunctus mense Schawal anni 375 (Chr. 985—6). — (*Est etiam Abhar*) oppidum in Ispahanis vicinia, ex quo alia doctorum turba oriunda est. Inter hos recensentur Al Hasan ibn Mo-

Mohammed ibn Asid Abharita, qui Lowainam audivit; aliique. Quod autem ad significationem Abharis attinet, dicunt Ab significare aquam, et Har molam, ita ut proprie sit: mola aquae. Deus autem hoc novit.

Aran, cum hamza fathata, teschdid supra re, et ultima nun, — arx celebris in tractu Kazwinensi.

Asadabad. Ejus radix est Asad cum sin mobili, et significatio: domus Asadi, 10 quemadmodum ad praecedentem vocem Asterabad animadvertimus, nisi quod sin Persae vocali privent. Urbs, inter quam et Hamadan Iracam petentibus una statio est, nomen habet ab Asado ibn Dsou'l Serou Himyarita, qui eam condidit, cum una cum Tobbâa huc transiret. Ab ea innumeri viri docti cognomen traxerunt.

Asfidzaban, cum hamza fathata, quiescente sin, fe kesrata, ye quiescente, dzal fathata, et be, unus ex vicis Ispahanis, a quo cognomen habet Abd-allah ibn al Walid Asfidzabanita.

Anbith, cum hamza fathata, nun quiescente, be kesrata, — pertinet ad vicos Hamadanis. In eo est sepulcrum doctoris probi Abou Ali Ahmedis ibn Mohammed Koumasanitae, qui miracula patravit et Schabilitae socius fuit, obiitque A. 389 (Chr. 998 — 9).

Badja, cum vocali brevi literae djim, tractus est ex vicis Ispahanensibus. Ex eo oriundus est Mohammed ibn al Hasan ibn Bouka Medinensis, Badjita.

Bordj, cum be dhammata, re quiescente, et djim, regio celebris propter frigoris vehementiam, unum ex duobus oppidis in claustris (?) ditionis Montanae sitis. Bordj etiam est urbs Ispahanensis, a qua multi docti cognomen habuerunt. Inter hos Abou'l Faradj Otsman ibn Ahmed ibn Ishak al Katib Bordjita, qui traditiones accepit ab Abou Amrouo Otsmano ibn Hakim: alii.

Barkah, cum be fathata, re quiescente et kaf, pertinet ad vicos urbis Kom. Ab eo cognomen habet Ahmed ibn Abou Abd-allah Mohammed ibn Khaled ibn Abd-orrahman Abou Djafar Barkita, Jurisconsultis et doctoribus Schiitis annumeratus.

Bozan, cum be dhammata, dein ze, elif et nun, vicus est Ispahanensis, a quo magna turba traditionariorum cognomen traxit. Inter hos Abou'l Faradj Abd-ol Wahid ibn Mohammed ibn Abd-allah Bozanita, Ispahanensis, ejus filius Abou'l Fadhl al Modhaffer, aliique.

Bald al Caradj (cum djim) condidit Abou Dolaf Adjalita, eamque vocavit Bald. Cognomen ab ea habet Abou'l Hasan Ali ibn Ibrahim ibn Abd-allah ibn Abd-orrahman Baldita, vulgo Alan Caradjita dictus.

Baw-

Bawwan, cum be fathata, et teschdid supra waw. Vicus celeber ad portam Ispahanis. Ab eo cognominatur Al Kadhi Abou Becr Mohammed ibn al Hasan ibn Mohammed ibn Mohammed ibn Abd-allah ibn Ahmed ibn Selim Bawwanita, qui Abou Becrum ibn Mardawaih Hafedhum Ispahane, et Abou Becrum Barkanitam Hafedhum Bagdadi audivit, et mense Dsou'l Kaadah A. 484 (Chr. 1091 — 2) obiit.

Bouzandjird, cum be dhammata, waw quiescente, ze fathata, nun quiescente, djim kesrata, re et dal quiescentibus. Vicus est Hamadanis, unam diaetam (*ab ea*) versus Sawam distans. Abou Saïd dicit, hanc vocem Bouzanadjird, proxime vero superiorem Bouzandjird pronuntiandam esse; alteramque ab altera sejungit, etsi significatio una eademque maneat, quippe quae in lingua Persica valet opus Bouzani. Ex hoc vico ortum duxit Abou Yakoub Yousef ibn Ayoub ibn Yousef ibn al Hasan ibn Zahrah Hamadanensis Bouzandjirdita. Fuit Imamus pius, et abstinens, qui in jure ducem secutus est Abou Ishakum Schirazitam, a quo, uti et ab Abou Becro Concionatore traditiones audivit. Contra, ipsum doctorem habuit Abou Saadus, qui eum A. 535 (Chr. 1140 — 1) mortuum esse refert.

Birouzkouh vel Bairouzkouh, cum be kesrata vel fathata, ye quiescente, re, waw quiescente, ze quiescente (ubi ergo duae literae quiescentes concurrunt), kef, waw quiescente, et he punctis carente. Significat vox montem coeruleum. — Arx est munita, quam vidi in viis Thabaristanam ferentibus, in tractu Rayae prope montem Danawend. Habet suburbium Wimah (?) dictum. Vidi eam A. 617 (Chr. 1220 — 1). Nunc vero plane est diruta. 11

Bil, cum be kesrata, ye quiescente, et lam, tractus est Rayae, a quo cognominatur Abd-allah ibn Hosain ibn Ayoub Bilita, vir religiosus. Audivit Sahlum ibn Radjlah, aliosque. Hunc Amrou ibn Nodjaid traditionis doctorem habuit.

Tarem — tractus amplus in altis montibus situs inter Kazwin et regionem Djilan. In eo multi sunt vici, sed nulla urbs celebris. Ab eo cognomen habet Ahmed ibn Yahya Taremita Mokrita.

Tsania al Rikab (sive *jugum stapedum*) parasangas (*aliquot*) a Nahawende distans, ideo illud nomen gerit, quod equitatus Moslemorum tempore victoriarum ibi in densos globos propter angustias loci coactus est. Narrant calamum aromaticum crescere in sylvis, quae in tractibus Nahawendis inveniuntur, illosque hunc calamum exscindere ad nodos, spithamae longitudine, atque inde fasciculos conficere, quos ad alias regiones deferant. Porro dicunt hunc calamum, si per collem stapedum deferatur, eximie aromaticum et praestantem fieri, at si per alia loca devehatur, nullum ex eo commodum existere, neque ab aliis illum calamis quidquam differre. Haec inter hujus

 col-

collis proprietates, ut ajunt, admiratione digna est. Ceterum calamus aromaticus hodie prorsus deficit.

Djar — pertinet ad vicos Ispahanenses. Ab eo cognominantur multi viri docti; veluti, Abou'l Thaib Abd-al Djabbar ibn al Fadhl ibn Mohammed ibn Ahmed Djarita. Retulit traditiones ex auctoritate Abou Abd-allae Mohammedis ibn Ibrahim Djordjanitae, ut refert Ibn Mandeh. Eodem vico oriundus Abou Becr Dzakir ibn Mohammed ibn Omar ibn Sahel Djarita Baraanita obiit A. 551 (Chr. 1156—7).

Al Djebal, nomen ad illum tractum pertinens, qui vulgo Iraca Persica vocatur. In eo urbes sunt Hamadan, Dainawar, Djorbadzakan, Ispahan, aliae. Multi ab hac regione cognomen habuerunt. Inter hos Ali ibn Abd-allah ibn Djahdham Hamadanensis Djebalita, qui acceperat traditiones a Mohammede ibn Ali Wadjihita; docueratque easdem Abou Hazem al Abdowi idem cognomen gerentem.

Djorbadzakan — urbs inter Al Caradj et Hamadan, quam Persae Hadzarbadzkan vocant. Ab ea cognomen habent quam plurimi eruditi et scribae munere functi; veluti Al Kadhi Abou Ahmed Obeid-allah ibn Ahmed ibn Ismail ibn Abd-allah al Atthar al Djorbadzakani, ejus judex, qui in traditione doctor fuit Abou Becri ibn Merdawaih al Hafedh.

Djarkan, cum djim fathata, re quiescente, kef, elif et nun, vicus Ispahanensis, a quo cognominatur Al Hafedh Abou'l Radja Mohammed ibn Ahmed ibn Mohammed Djarkanita, unus ex antistitibus traditionis. Audivit Abou Becrum ibn Zaida et Abou Thaherum Mohammedem ibn Ahmed ibn Abd-al Rahim al Katib, aliosque ejusdem aetatis. Ejus mentionem fecerunt Abou Saäd et Abou Thaher in doctorum suorum Catalogis alphabeticis. Mortuus est circa A. 514 (Chr. 1120—1).

Djoubar, cum djim dhammata, waw quiescente et be. Djou Persice idem est ac fluvius parvus, et Bar fluxus ejus, ita ut totum nomen sit: fluvii parvi fluxus. Djoubar Ispahanis unus est ex ejus vicis, a quo multi cognomen habent. Inter hos 12 Abou Becr Mohammed ibn Ali al Semsar Djoubarita; et Ibn Masoud Abd-ol Djalil ibn Mohammed ibn Abd-ol Wahid ibn Koumah Djoubarita al Hafedh. Retulit traditionem a sociis Ibn Mardawayae aliisque acceptam.

Djayyan cum priori litera fathata, et teschdid supra ye, — pagus Ispahanensis, a quo cognominatur Abou'l Kasem Telhah ibn al Alam Hanefita Djayyanita. Magistrum traditionis habuit Amirum Schâbitam; eandemque ab eo accepit Sofjan Tsourita.

Djairan vel Djiran, cum djim fathata vel kesrata, vicus est ad portam Ispahanis, a quo cognomen traxit Abou'l Abbas Ahmed ibn Mohammed ibn Sahel al Bazar, vir justus (?) Djairanita. Traditiones narravit ex Lowaino aliisque auditas. Mortuus est A. 306 (Chr. 918—9).

Djai

Djai cum djim kesrata, et teschdid supra ye. — Urbs Ispahan antiqua vocabatur Djai, dein appellata fuit Medina; nunc autem ejus nomen est Schahrestana. A Yahoudia, quae hodie est urbs Ispahanis, circiter milliarii spatium distat, quod dirutum est. Djai Wasra est arx munita in Rayae finibus, in ditione Kaseran superioris.

Al Khan. — Khan Landjan et Landjan tractus est Ispahanensis, cujus caput est Landjan. Plurimi viri docti ab hoc pago cognominantur.

Kharrakan, cum kha fathata, teschdid supra re, kaf, elif et nun; vicus inter Kazwin et Hamadan, sed priori urbi propinquior, cognomen dedit Abou'l Hasano ibn Abou Thaher Kharrakanitae ob Souficae Sectae, quam profitebatur, et de cujus placitis libros conscripsit, studium celebrato.

Khorramabad, cum kha dhammata, re fathata et teschdid gerente, — pertinet ad vicos Rayae. Cognomen ab eo accepit Abou Hafs Omar ibn al Hosain ibn Omar Khorramabadita, concionator templi sociorum traditionis, quod Rayae est. Traditiones ab eo acceperat Salafita.

Khowar cum kha dhammata, waw sine teschdid, elif, et re. Urbs magna est et celebris, inter Rayam et Simnanam, per quam mediam itineratores Khorasanae transeunt, et quae viginti fere parasangas a Raya distat. Ab ea multi eruditi cognomen traxerunt, ut Abou Yahya Zakarya ibn Masoud al Aschkar Khowarita, qui traditiones narrantem audivit Alium ibn Harb Mausalensem.

Khour Safalk, cum sin et fe fathata, lam quiescente et kaf, unus est ex vicis Asadabadis. Secundum opinionem Abou Saädi ab eo cognominatur Abou Saïd Mohammed ibn Ahmed Khour Safalkita, ex incolis Asadabadis. Traditiones accepit ab Abou Obaida Ahmede ibn Djawas, easque tradidit Abou Naïmo Abd-ol Maleco ibn Mohammed Asterabaditae.

Khouzan, cum kha dhammata, waw quiescente, et ze. — Vicus est Ispahanensis. Abou Becr ibn Mousa dicit ex eo oriundum esse Ahmedem ibn Mohammed Khouzanitam, poetam recentioris aetatis, a quo traditiones accepit Hebat allah ibn Mohammed ibn Ali Schirazita.

Khouz, cum kha dhammata, waw quiescente, et ze. Platea Khouz est Ispahane, ab eaque cognominatur Abou Abd-allah (?) Abou'l Abbas Ahmed ibn Al Hasan ibn Ahmed ibn Al Hasan ibn Ahmed Khouzita, vulgo dictus Ibn Nadjoukah. Audivit Naïmum al Hafedhum, et ultimus fuisse dicitur qui eum traditionis magistrum habuerit. Obiit A. 517 vel 518 (Chr. 1123—5).

Al Khil — oppidum inter Rayam et Kazwin, tractus ibi siti metropolis. Decem parasangas a Kazwine distat.

Des-

13 Destadjerd — Abou Mousa al Hafedh refert Ispahane esse multos vicos, qui omnes Destadjerd vocentur. Cognovimus complures ex illorum incolis scientiam et traditiones quaerentes. — Rayae unus alterque vicus est, qui Destadjerd vocetur.

Dascht, — quod Persice planitiem significat, — vicus est ad Ispahan pertinens. Ab eo cognomen habet Al Kadhi Abou Becr Mohammed ibn al Hosain ibn al Hasan ibn Mohammed ibn Djarir ibn Sawid Daschtita, qui traditiones accepit ab Abou Becro Dahimo, aliisque. — Dar Dascht etiam vicus est Ispahanis, a quo cognominatur Abou Moslem Abd-orrahman ibn Mohammed ibn Ahmed ibn Sayah Daschtita supra memoratus, quem traditiones narrantem audivit Abou Becr ibn Mardawaih. Obiit A. 346 (Chr. 957—8).

Doulab vel Dawlab scribi dicitur cum dal dhammata vel fathata. — Vicus est ad Rayam pertinens, a quo cognomen habet Kasem Rayensis Doulabita, unus ex antiquis doctoribus Rayae, qui Meccam venit, ibique est mortuus. Hunc inter et Al Carkhium res satis notae acciderunt.

Dounah cum dal dhammata, et waw quiescente; cui saepe, ad nomen gentilitium formandum, a fine adjungunt kaf, et dicunt Dounaki. — Est autem vicus Nahawendis, qui nonnullis viris probis cognomen praebuit. — Dounah etiam est vicus Hamadanis, a quo cognomen habet Schirouneh Hamed ibn al Hasan ibn al Hasan ibn Abd-orrahman Soufita, qui dicit se traditiones Kaschari ex libris Abou Becri ibn al Sonni accepisse.

Razan, cum ze post elif, — vicus Ispahane, in loco Haumet al Behar, a quo cognomen habuit Abou Amrou Khaled ibn Mohammed Razanita. Hic traditiones accepit ab Al Hasano ibn Orfa, aliisque, easdemque tradidit Abou'l Schaikho al Hafedho. — (*Razan est etiam*) vicus Biroudjirdae, a quo cognomen traxit Abou'l Nadjem Zaid ibn Saleh ibn Abd-allah Razanita JCtus. Ejus mentionem fecit Abou Saäd inter doctores suos, eumque mortuum refert initio al Moharremi A. 549 (Chr. 1154—5).

Rabadh — Ispahanense cognomen dedit Abou Sakro Ahmedi ibn Mohammed ibn Ali Rabadhitae.

Roudzbar — cum priori litera dhammata, quiescente secunda, dzal, be, et ultima re. — Abou Mousa Ispahanensis refert Roudzbar esse tractum in confiniis Ispahanis, multos vicos continentem, in quibus multi sint eruditi. — Roudzbar etiam est vicus Hamadane, e quo multi viri docti et traditionis periti prodierunt, in his Abdous ibn Abd-allah ibn Mohammed ibn Abd-allah ibn Abdous Abou'l Fatah, qui a patre suo Abou Mohammede et patruo magno Abou'l Hasano Alio ibn Abd-allah ibn Abdous, aliisque multis civibus Hamadanensibus et peregrinis traditiones accepit; quos

quos omnes referre longum foret. Schirouya, qui ejus mentionem fecit, dicit se publice eam enarrantem audivisse, quae ipsi in vita accidissent. Fuit autem vir probus, rerum scientia, verecundia, benignitate et bona fama excellens. Erat oriundus ex familia magno procerum proventu illustri. Egregie literas pingere solebat, suavissimeque disserebat. Extrema aetate oculorum auriumque hebescentium usu privatus est. Traditiones tamen ex illius ore a vetustis doctoribus aliquot annis post annum 480 (Chr. 1087—8) acceptae optimae notae habentur, licet ipse paullo post obierit, mense Djomada posteriore A. 489 (Chr. 1096). Filius Abou Abd-allah al Hosain mortuo solemnes preces peregit. Sepultus est in coenobio (?) suo Roudzbare. Interrogavi autem ipsum de nativitatis anno, mihique se natum esse respondit A. 395 (Chr. 1004—5).

Roudzah cum re dhammata, waw quiescente et dzal. — Vicus est Rayae, in quo obiit Amrou ibn Maadi Kerb.

Al Zobeidiah, — vicus Regionis Montanae.

Zarend, cum ze et re fathata et nun et dal quiescente, — unus ex vicis Ispahanensibus. 14 Cognomen ex eo habuit Abou Abd-allah Mohammed ibn al Abbas ibn Ahmed ibn Mohammed ibn Khaled ibn Yezid Zarendita Schirazius Grammaticus. Audivit Abou'l Hasanum Ahmedem ibn Ibrahim ibn Ahmed Abkasitam, nec non Abou'l Hasanum Ahmedem ibn Abd-allah Kharkouschitam.

Al Zafaraniah. — Vicus unam diaetam ab Hamadane distans, prope Asadabad. Ab eo cognominatur Abou Ahmed al Kasem ibn Abd-allah ibn Abd-orrahman ibn Ziad Zafaranita Hamadanensis. Traditiones accepit ab Abou Zaraä Rayensi, aliisque, easque docuit Darakothnitam et Abou Hafsum ibn Schahin.

Saman pertinet ad vicos Ispahanis; a quo cognominatur Abou'l Abbas Ahmed ibn Ali Samanita librarius. Traditiones accepit ab Abou'l Scheikho al Hafedho aliisque.

Sindj, cum sin kesrata, nun quiescente et djim. Persae dicunt Schink, cum schin et kef. — Pagus est Ispahane, quem commemorat Madajanensis in libro victoriarum.

Al Sinn, cum sin kesrata et nun duplicata, locus in ditione Rayae, qui cognomen praebuit Ibrahimo ibn Isa Sinnitae Rayensi. Traditiones accepit a Rouho ibn Anas. Easdem ab eo audivit Abou Becr al Naffas. Eodem oriundus Hescham ibn Abd-allah Sinnita Rayensis, in traditionibus discipulus Maleci et Ibn Abou Dzibi, magister Hamadani ibn al Mogaira aliorumque.

Al Sirouan, cum sin kesrata et ye quiescente, — locus est prope Rayam. Hic Al Mansouro, patre suo, vivo domicilium fixit Al Mohdi, ibique aedificia exstruxit adhucdum celebria.

Schahrestan. (Schahr Persice Urbs est et Estan Tractus. Est igitur Schahrestan, quasi

Urbs

Urbs tractus). — Urbs Djay Ispahane vocatur Schahrestan. Haec ab urbe Yahoudia, quae hodie Ispahanis urbs est, unum fere milliare distat. In ea inveniuntur fora nec non sepulcrum Raschidi. Sita est ad fluvium Zarendroud et cognita etiam nomine Medinah.

Saimarah, cum sad fathata, ye quiescente; mim fathata et re. — Oppidum in tractu montano a parte Khouzistanae, quod etiam Mihr Djan Khadf vocatur, et arbores fluviosque complectitur. Ab eo cognomen habet Abou Temam Ibrahim ibn Ahmed ibn al Hosain Hamadanensis Saimarita, e civibus Beroudjirdae: nam, etsi ejus familia ex Saimara oriunda esset, ipse tamen vir princeps fuit Beroudjirdae. Audivit Abou Yakoubum Yousefum ibn Mohammed ibn Yousef concionatorem, nec non Abou Ishakum Ibrahimum ibn Ahmed Rayensem. Ipsum vero audivit Abou Saäd.

Thalekan, cum lam fathata, kaf, elif et nun. — Regio celebris inter Kazwin et Abhar, vicis referta, qui omnes sub Thalekanis nomine comprehenduntur. Ex ea, inter alios quam plurimos, ortus est vir primarius Abou'l Kasem Ismail ibn Abbad, ejusque pater Abbad, qui ambo disciplinas tradiderunt.

Thihran, cum tha kesrata, he quiescente, re, elif et nun, vicus est ad Rayam pertinens, unde cognomen habet Abou Abd-allah Mohammed ibn Hamad Thihranita. Audivit hic Abd-al Rezzak ibn Hemam aliosque. Traditiones ab eo acceperunt varii Imami. Ipse enim erat Imamus celeber inter viros inquirendi et itinerum studiosos. — Thihran etiam est vicus Ispahanensis, ex quo multi orti sunt. Inter hos 35 sunt Abou Becr Ibrahim ibn Soleiman Thihranita, qui Ibrahimum ibn Nasr aliosque audivit: et Abou Becr Mohammed ibn Ahmed ibn Mahmoud Thihranita Ispahanensis, qui Schirazum habitatum concessit, et Doctor fuit antiquus, vitamque suam ultra nonaginta annos produxerat. Traditiones accepit ab al Darakita et Mohammede ibn Ali ibn Mokhalled al Farkad (?). Eum audiverunt Abou Abd-allah al Safar Schirazita, aliique. Obiit A. 382 (Chr. 992—3).

Thayfourabad. — Yahya ibn Mandeh hunc vicum inter Ispahanenses recenset. Ex eo ortus est Ahmed ibn Mohammed ibn Ibrahim Abou'l Fatah Thayfourabadita. Traditiones tam ore quam scriptis retulit ex auctoritate Mohammedis ibn Ibrahim Mokritae. — Schirouya dicit Thayfourabad esse vicum Hamadane, a quo cognominetur Ahmed ibn al Hasan ibn Ali al Hayath Abou'l Abbas Thayfourabadita, vulgo Ibn al Haddad. Hic traditiones, quas ab Al Fadhlo ibn al Fadhl Kendita aliisque didicerat, ipse docuit Thaherum ibn Ahmed al Nasir, qui cum ipso fuit. Ejus vero fit mentio in vita (?) Thaheri ibn Abd-allah ibn Omar ibn Yahya ibn Isa ibn Mahilah Abou Becri al Zahedi. Obiit mense Safaro A. 402 (Chr. 1011—12) et se-

sepultus est in sepulcris Bascheti Hamadane. Dicit (*Schirouya?*) templum ejus fuisse ad latus domus ipsius Thayfourabade. Hinc autem probamus Thayfourabad esse vicum Hamadane, quod Ibn Mahilah fuit Hamadanensis.

Akabah al Rikab prope Nahawend, in quo gypsum, aliaeque hujus generis materiae reperiuntur.

Al Firdous, cum fe kesrata, et re quiescente. — Arx Firdous jacet in tractu Kazwinis, et apud illos celebris est.

Forsan, cum fe dhammata, re quiescente et sin. — Vicus ad portam Ispahanis, qui cognomen dedit Mohammedi ibn Abd-al Djabbar ibn Mohammed ibn Abd-al Aziz ibn Mohammed Djafaro Sinnitae Forsanitae, Doctori probato, qui multos audiverat Doctoresque habuerat traditionarios. Audivit Abou'l Hasanum Ahmedem ibn Mohammed Abditam, et Abou'l Kasemum Mamaritam Asadabaditam, aliosque. Yahya ibn Mandeh refert eum ipsi dixisse: natus sum A. 412 (Chr. 1021—2). Mortuus autem est mense Rabia posteriore A. 496 (Chr. 1102—3).

Kar — vicus Rayae, a quo cognomen habet Abou Becr Saleh ibn Schoaib Karita, unus ex antiquis Linguae Arabicae statoribus, qui Tsalebam adhuc vidit viventem.

Kasan. — Refert Abou Becr ibn Mousa Kasan esse tractum agri Ispahanis, a quo cognomen habet. . . . . . Porro dicit: interrogavi Mohammedem ibn Abou Naser Kasanitam de loco unde gentiles orti essent, et respondit: credo nos ex hoc vico esse oriundos.

Kasran — unus ex tractibus Rayae, prope Dainawend, fructibus et hortis refertus. Ab eo cognomen traxit Abou'l Abbas Ahmed ibn al Hasan ibn al Kasem ibn Baba Kasranita Aadzounita ex incolis Kasranis exterioris. Nam Aadzoun est ex Kasranis pagis. Fuit autem ex Doctoribus. . . . . . Traditiones ab eo accepit Abou Saäd. Obiit circa annum 540 (Chr. 1145—6). — Kasran interior etiam est in ditione Rayae.

Kasr. — Bab al Kasr est Ispahane. Ab eo cognomen habet Al Hosain ibn Maamer Kasrita, quem memoravit Abou Saäd in (*catalogo*) Doctorum suorum. — Kasr Schirin est prope Karmisin inter Hamadan et Holwan. — Kasr Kinkiwar cum duabus kef kesratis, waw quiescente, et nun fathata, oppidum inter Hamadan et Karmisin. Ab eo multi appellantur; inter hos Abou Ganem, vulgo Ibn Mohammed Kasrita, cognomine Vezirus, qui scriba et poeta fuit tempore Mahmoudis ibn Sebektekin: item Saäd ibn al Hasan ibn Mohammed ibn al Hasan Kasrita, quem Schirouyah a Kinkiware cognominari et Abou'l Wafaä praenomen habere dicit. Hic nostro (*inquit*) tempore saepius Hamadane venit ad traditiones narrandas, quas acceperat a patre suo Abou Alio, et Abou Saïdo ibn Schebaba, Alio ibn Ibrahim ibn Hamed, Ibn al Mohtesibo et Ibn Isa. Audivi eum Hamadane et Asadabade. Erat autem veridicus. — Kasr al Losous dicitur esse 16

Kasr Kinkiwar et Kasr Schirin. Quod si verum sit, in hac recensione ne numeretur. Ab eo cognominatur Abd-al Aziz ibn Beder Kasrita Walaschadjardita. Fuit judex hujus urbis, eumque memoravit Abou Saäd inter suos Doctores. Mortuum eum dicit circa A. 540 (Chr. 1145—6).

Kantherat - al Noömani ibn al Mondzar, prope Karmisin. In historia, quae hac de re extat (?), narratur eum venisse apud Chosroëm, ipsique eo loco, ubi postea pons fuit, transitum valde difficilem fuisse, quamobrem a Chosroë petiverit ut sibi pontem ibi exstrui liceret, idque a rege concessum esse.

Koumasah cum kef dhammata, waw quiescente, mim fathata, et sin. — Si he addatur vicus est Ispahanensis.

Al Car, cum ultima re, vicus Ispahanensis, qui cognominis causa fuit Abou'l Thaibo Abd-al Djabbaro ibn al Fadhl ibn Mohammed ibn Ahmed Caritae. Audivit Abou Abd-allam Mohammedem ibn Ibrahim ibn Djafar Narditam. Ejus memorabilia retulit Abou'l Kasem Hebat allah ibn Abd-al Warets Schirazita al Hafedh.

Carran, cum kef fathata et teschdid supra re, elif et nun, vicus celeber Ispahanensis, a quo plurimi viri docti cognomen habuerunt.

Caradj, cum kef fathata, re et djim. — Caradj Abou Dolafi al Kasemi ibn Isa Adjalitae, inter Hamadan et Ispahan, est oppidum ejusque ditio. Primus illud condidit Abou Dolaf, qui ibi etiam habitavit. Ipsum ejusque urbem carminibus celebrarunt poetae. Eam significavit Becr ibn al Batah, cum diceret: Neque Caradj cum reliquo comparari potest mundo, neque homines instar Kasemi (*liberales*). — Caradj, vicus celeber ad Rayam pertinens. — Caradj oppidum est tractus Roudzrawardis, septem parasangas ab Hamadane distans. — Al Caradj vicus ex tractu Schabour Khast.

Corkan, cum kef dhammata, et re quiescente. — Vicus est prope Karmisin, sed non audivi quemquam hoc nomen Arabum more cum duabus djim scripsisse, quemadmodum in synonymo supra citato factum est.

Gasch, cum kef fathata, et teschdid supra schin. — Dicit Abou Mousa al Hafedh Gasch esse vicum Ispahanis et scribi cum kef impura. In hoc vico multos fuisse testatur sapientiae studiosos, et nomen etiam cum djim, loco literae kef exarari.

Kandjah, cum kef fathata, nun quiescente et djim. — Kenistanae (?) vicinum est inter Ispahan et Laristan; sed pertinet ad ditionem Ispahanensem.

Kondar, cum kef dhammata, nun quiescente, et dal dhammata. — Vicus est prope Kazwin, a quo cognomen habent Abou Ganem al Hosain et Abou'l Hasan Ali, filii Isae ibn al Hosain Kondaritae. Hi Abou Abd-orrahmanum Mohammedem ibn al Hosain Salamitam Soufitam audiverunt, ejusque opera descripserunt.

Kin-

Kinkiwar, cum utrâque kef kesrata, nun quiescente, waw fathata. — Oppidum inter Karmisin et Hamadan. Idem est ac Kasr al Losous. 17

Al Mohammediah. — Vicus magnus Rayae, infra murum, qui a Mohammede al Mohdio, vivente patre suo Mansouro, conditus et ab eo vocatus est.

Medinah. — Medinah Ispahanis. Haec est Djay, et hodie vocatur Schahrestan, ad latus fluvii Zendroud sita. Hodie circiter milliare ab (*altera*) Ispahanis urbe Yahoudia distat. Jam vero si pauca illius vestigia excipias prorsus diruta est. Ab Ispahane hoc nomine vocata multi nominantur, quos memoravit Al Hafedh Abou'l Mofadhdhel Hierosolymitanus, illos ordine Alphabetico propter ipsorum multitudinem recensens. Inter eos autem censetur, ab Ibn Thahero non memoratus, Abou Mousa Mohammed ibn Abou Becr Mohammed ibn Abou Isa Medinensis, unus traditionariorum, qui plurima scripta ediderunt. A. 401 (Chr. 1010—1) natus est, et mense Djemada priori A. 581 (Chr. 1107—8) obiit.

Maradj. — Maradj al Kalaät cum fatha et re mobili prope Holwan, inter Bagdadum et Hamadan, cujus haud exigua est celebritas. Ad illius vicis nomen gentilitium acceptum retulit Abou Naser Ahmed Abd-allah ibn Ahmed Maradjita, qui traditiones accepit a Salilo ibn Ahmed aliisque. Referunt eum ab hoc Maradjo oriundum esse, sed Mausalae habitasse. Deus autem novit de quonam Maradjo hic agatur.

Milh, cum mim kesrata, lam quiescente, et ha. — Vicus prope Khowar Rayae. Persae illum vocant Deh mel, cujus eadem est significatio.

Meidan. — Vicus Ispahane. Abou'l Fadhl Hierosolymitanus refert ab eo cognominari Abou'l Fathah al Mothahir ibn Ahmed al Mofahd, quemadmodum ipsi interrogatus responderat Abou Mousa al Hafedh. Dicit autem se neminem hujus cognominis novisse. — Dicit Abou Mousa Meidan Isfaris esse vicum Ispahane, ex quo oriundus sit Mohammed ibn Mohammed ibn Abd-orrahman ibn Abd-al Waheb Medanensis Meidanius. Idem refert patrem suum, inter alios, traditiones ex illius testimonio ipsi retulisse. De eo locutus est Abou Mousa sub litera ya.

Mimah, cum mim priori kesrata, ye quiescente, et ultima mim fathata. — Tractus ex viciniis Ispahanis, multos continens pagos. Ab eo cognomen traxerunt multi, inter quos Abou Ali al Hasan Mimita acceptas ab Abou Alio al Haddado traditiones docuit A. 574 (Chr. 1178—9). Ipsum audiverunt Abou Becr Hazanita, aliique.

Nasa, cum priori fathata. — Oppidum in agro Hamadanis, ut ait Ibn al Bana.

Al Noubahar, cum nun dhammata, waw quiescente, be fathata. — Locus est inter Rayam et Ispahan, ex quo scripsit Al Saheb ibn Abad ad Abou'l Fadhlum ibn al Amid; Epistola mea ex Noubehare scripta die Sabbati ipsa meridie. (*Quorum versuum* ce-

celeritatem miratus) Ibn Al Amid, profecto, inquit, Aboul Kasem ipse jumento fertur cursus concitatissimi. Caeterum hi versiculi ansam dederunt, ut in una eademque domo ambo (*amicitiae caussa*) sedem figerent.

Wadzar, cum waw fathata, et dzal, — vicus Ispahanensis. (Haec Wadzar, ut al Hafedh al Mondari (?) affirmat, Ispahanensis, etiam Waadzar appellatur).

Warkan, cum waw fathata, re quiescente, kef, elif et nun. — Vicus Ispahane, a 18 quo cognominatur Ahmed ibn al Hosain ibn Ibrahim Warkanita; nec non Abou'l Abbas al Moftasch, qui obiit mense Safaro A. 454 (Chr. 1062 — 3). Vir iste multas quidem ab aliis traditiones audiverat, at pauca ad posteritatem propagaverat. Traditiones accepit ab Abou Abd-alla ibn Mandeh. Refert Yahya ibn Abd-ol Waheb, eum non fuisse traditionarium. — Warkan etiam est pagus Kaschanis, ex quo cognominatur Abou'l Hasan Mohammed ibn al Hasan, vir literatus et poëta, Warkanita. Dictare solebat traditionem. Ejus filii erant Abou'l Maäli Mohammed et Aboul Mahasen Masoud. — Warkan denique Hamadanis pagus est, ex quo recentiori aetate Waëdh, sive concionator, prodiisse dicitur.

Walaschadjird, cum waw fathata, schin quiescente, post lam-elif (*djim*) kesrata, re quiescente et dal. — Pagus castelli Kinkiwar inter Hamadan et Karmisin. Ex eo ortus est Abou Omar Abd-ol Wahed ibn Mohammed ibn Omar ibn Haroun Walaschadjirdita, JCtus, qui audivit Abou'l Hasanum ibn al Arik Haschemitam, Abou Mohammedem ibn Hazamerd Sarnafinitam aliosque. Obiit Kinkiware A. 502 (Chr. 1108 — 9).

Al Haschemiah. — Pagus prope Rayam.

Yarem, cum re fathata. Abou Mousa dicit Yarem esse pagum Ispahanis, a quo cognominentur nonnulli traditionarii.

Al Yahoudiah. — Urbs Ispahanis hodie vocatur Al Yahoudiah, quoniam Nebucadnezarus, postquam Hierosolymas vastasset, ejus incolas in hunc locum transportavit, ubi domus construxerunt, in iisque habitarunt. Sed longo temporis tractu Djay, urbs Ispahanis, paucis tantum vestigiis servatis, diruta est. Unus tamen vicus remanserat Judaeorum, quibus se adjunxerunt Moslemi, oppidumque ampliarunt, quod tamen Judaeorum nomen servavit.

EXCERPTA

EXCERPTA EX ZACARYAE IBN MOHAMMED KAZWINENSIS LIBRO, MONUMENTA REGIONUM ET HISTORIAE HOMINUM INSCRIPTO, RES MIRANDAS ET SINGULARES REGIONIS MONTANAE COMPLECTENTIA.

Abah oppidum in Sawae vicinia egregium, cujus tamen incolae Alidarum partibus addicti sunt, iisque maximopere favent. Cives Abae et Sawae mutua se invicem aemulatione prosequuntur, quoniam hi omnes Sunnitae sunt, illi vero Schiïtae. Dixit Iudex Abou Naser al Mestmendi, c. d. b. v. 19

Fuit, *qui* (mihi) *diceret: an Abae incolas odisti*, *cum tamen poësi et scribendi arte excellant?*

Respondi, *me missum facito*, *nam qui mihi sunt similes*, *omnibus sunt infesti*, *qui oderunt socios* (Mohammedis).

Inter Abam et Sawam fluvius est magnus, praesertim tempore veris, in quo Atabecus Schir Gir, c. d. b. v. pontem exstruxit mirandum, septuaginta arcuum, cujus similis nusquam terrarum invenitur. Ab hoc ponte ad Sawam usque terra fere luto constat tenaci, quod tempore pluviali catervas viatorum eo proficiscentium impedire solet. Quamobrem Atabecus viam lapidibus stravit per duarum parasangarum spatium, ut nulla in posterum iter facientibus molestia foret.

Arschab et Nasekin duo sunt tractus ex agris Kazwinensibus, tres parasangas ab ea urbe distantes, qui hoc mirabile habent, quod ferrum in Arschabo cudi potest, in Nasekino vero minus, etiamsi eo magnam vim ignis adhibeant. Contra lebes tinctorius (*ad eum gradum*, *quo opus est*), calefieri potest in Nasekino: non item in Arschabo, licet multum ignis accendant. Hinc nullus in Arschabo tinctor, nullus in Nasekino faber ferrarius reperitur. Quod si ex istis opificibus aliquis ex altero in alterum locum migret, opus non succedit. Haec autem celebrata res est et illius regionis civibus nota.

Ab-

Abhar urbs Regionis Montanae, aqua et arboribus abundans, quam condidit Schabour Dzou'l Aktaf. Narrant agrum istum fontibus plenum fuisse, sed Schabourum illos velleribus et pellibus obturasse, urbemque superstruxisse. Versatur autem haec urbs in summis deliciis, propter aëris salubritatem et aquae hortorumque multitudinem. Externa species melior etiam est quam interna. In ea hortus est Baha-eddin Abad dictus, quo nullus major longitudine vel latitudine invenitur. Est autem publicus, in eoque vulgo diversantur catervae viatorum, et exercitus; nec quisquam ingressu prohibetur. Urbs habet arcem, quae diruta est, quia rebellantes adversus regionis principem illius munimento se tueri solebant. Hodie autem ferarum lustra in ea esse
10 ajunt, adeo ut nemo illuc accedere audeat. Est etiam in hac urbe fons, cujus aqua, quotiescumque de ea bibitur, manet . . . . . fluxu prorsus desinente (?) Habet autem urbs ubivis molas, quae aquâ agitantur. Inter fructus praecipue profert uvas et nuces, et speciem quamdam pirorum rotundorum magnitudine mali aurantii, quae Abbasita vocantur et valde dulcia sunt, cujusmodi nulla in regione crescunt. Hos vero fructus tanto numero colligunt, ut in alias quoque regiones venum deferantur. Suspendunt eos donec iis vescantur, per totam hyemem, qua iis frui cupiunt. Hujus urbis incolae sunt pulcerrimi forma. Omnes sanam religionis doctrinam profitentur, neque alii sectae addicti inter eos inveniuntur. Porro ipsis non desunt viri humanitate, artibus, et scientia praecellentes. Quin omnes uno quasi ore consentiunt ad praefectorum tyrannidem depellendam, ne in eos invalescat; et quo tempore vident, aliquem (*eorum*) a solita agendi norma discedere, omnes uno impetu ad vim arcendam in eum consurgunt.

Ab hac urbe cognomen habuit Doctor Abou Becrus Thaharita (?), cui sit misericordia Dei. Fuit hic religiosus, et aequalis Schiblitae. Habuit Abbarae cellam, quae ab eo nominatur, et in hac cella cryptam, quam quovis die Veneris ingressus via subterranea Damascum petebat, ubi in templo magno solemnes preces peragebat. Haec autem traditio apud Abharenses celebris est. Narrant praeterea virum quemdam eum aliquando secutum esse, atque ita subito in terram venisse, quam numquam vidisset. Homines autem tum ad precandum confluxisse. Quorum ubi aliquem de loci nomine interrogasset, hic (*ut ajunt*) ridens ipsi respondit: tune Damasci es, et de ea me interrogas? Cum ergo surrexisset ut urbem contemplaretur, et mox rediisset, non amplius invenit Doctorem, adeoque homines convocare coepit, iisque exposuit quid sibi accidisset. At nemo ipsi fidem habuit, praeter virum probum, qui ipsi respondit: Heus tu, absit impatientia! Exspecta proximum diem Veneris! et quando aderit Doctor, redeuntem sequere. Cum ergo die Veneris primum sequente venisset Doctor, ves-

vestis oram (*supplex*) prehendit. Tum Doctor: Si nemini, inquit, hoc indices, ego te mecum ducam. Sic ergo illum in patriam suam reduxit. Atque haec quidem de eo narratio Abhare celebratissima est.

Eodem ex oppido etiam orienda est Sakina Abharita, quae Doctori isti Abou Becro aequalis fuit. Amborum misereatur Deus! Jussus est aliquando Doctor Abou Becrus (*ab Abharitis?*) convenire Sakinam, eique nuntiare ipsos dimidiam partem hominum tum viventium dignitate ipsi vix parem arbitrari. Quo consilio cum Doctor ad eam accessisset, ipsi dixit: Tu ad me venisti, ut illud de nostrorum aequalium dimidio mihi nunties. Ego autem jam totam septimanam cum istis hac de re egi, donec de duobus trientibus consensissent. At equidem nolo nisi cum omnibus comparari: nec de jure duorum principum (*Hasani et Hoseini*) quidquam detraham. Tum reversus est Doctor, et pudore confusus tantam animi magnitudinem cum admiratione laudavit.

Ab hac urbe etiam cognomen traxit Vezirus, vir praestans et integer, Abou Amrou, cognominatus Camal al Baz (?). Hic vitae conditione similis fuit Ibrahimo ibn Adhem; utrique sit misericordia Dei! Fuit Vezirus Kazwine, elegantis vir ingenii, perspicax, Arabicae Persicaeque poëseos gnarus, et bonorum virorum amans, quo tempore Veziratum gessit. Quodam vero die cum equo vectus et equitum turma servisque et famulitio cinctus, extra urbem processisset, ministros suos coram Deo libertate donavit. Tum a jumento descendit, pannos induit abiitque Hierosolymas, lignaque in dorso gessit. Deinde tamen rediit in Syriam, ibique degit, donec diem obiit supremum extremis decem seculi sexti annis. Deus ipsi sit misericors!

Ardbeheschtek unus est ex vicis Kazwinis, tres parasangas ab ea distans. Inter ejus res mirandas censetur fons aquae, quae haurientibus magnam alvi solutionem parit. Ergo homines verno tempore undique ad fontem conveniunt, ut hac aquâ intestina purgent. Inter Kazwin et Ardbeheschtek est fluvius, ultra quem si fontis aqua deferatur, suam illa vim amittit. Delata est aliquando ista aqua Kazwin hydriis clausa, cujus tamen experimento probatae nullus effectus fuit. Inter illius proprietates etiam haec est, quam in alia aqua haud invenias, quod quis facile (*una vice*) illius quinque vel sex libras bibere possit. 21

Arselan Kaschad arx fuit duas parasangas a Kazwine distans et in cacumine montis sita. Narrant Ismaëlitas A. 595 (Chr. 1198—9) hanc arcem noctu, instrumentis suis bellicis jumentorum dorso allatis, occupasse. Ubi autem illuxisset, Kazwinenses vias suas obsessas videntes, eamque calamitatem graviter ferentes, apud reges circumjacentes hac de re frustra questos esse. Tandem vero, ut ajunt, Doctor Alius Graecus, c. d. b. v., multis perpetratis miraculis insignis, hanc ab illis tristitiae causam se amoturum promisit. Ergo

go ad Khowarezm Schahum Takeschum ibn Atziz per servum suum literas misit, quibus primum indicavit, quid certa quadam nocte solus secum cogitasset, dein ut a Kazwinensibus hanc alias in ipsum regnumque ingruituram calamitatem depelleret adhortatus est. Ubi Khowarezm Schah hanc epistolam legisset: Sane, inquit, hoc arcanum nemini, nisi Deo, notum fuit. Profectus igitur cum copiis suis, arcem obsidione cinxit, illamque in deditionem accepit; tum vero armis virisque bene instructam tradidit Moslemis, et reversus est. Bathenitae autem subterraneam viam foderant ex arce foras ducentem, ejusque introitum celaverant. Per hanc cryptam arcem de nocte iterum invaserunt; quae summo mane Bathenitarum tumultu agmineque plena, Moslemis interfectis, iterum in eorum potestatem pervenit. Tum Doctor, c. d. b. v., altera vice misit ad Khowarezm Schahum, qui ipse advenit, et cum exercitu suo populoque Kazwinensi duos menses arcem obsedit. Bathenitae autem, etsi scirent Sultanum per viam subterraneam non esse adscensurum, satius tamen duxerunt, arce tradita, vitam salvam pacisci. Quam ubi Sultanus concesserat, dixerunt: Nos (*non omnes simul, sed in duo agmina divisi*) diversis temporibus ex arce descendemus: quod si priori agmini nihil mali intuleritis, alterum quoque descendet, et arx vestra erit: sin minus, hoc ipsum castellum adversus vos tuebitur. Ergo postquam descendissent, Sultanoque salutato, ad unum omnes essent elapsi, frustra Moslemi alterius quoque agminis egressum exspectarunt, quippe omnes simul descenderant, et supererat nemo. Dein Sultanus arcem dirui, ejusque munimenta destrui jussit; atque in hoc quidem statu ad nostram usque aetatem mansit.

Istawnawend arx est celebris in Dainawende, ex ditione Rayae. Pertinet ad castella antiqua et munita, quippe quod jam tribus abhinc annorum millibus incolis frequentari coepit, nec umquam, quantum sciunt, vi captum fuit, donec Ibn Khowarezm Schah Rocn-eddin Gourschah A. 618 (Chr. 1221 — 2.) invasionis Tataricae tempore se in eo munivit. Huic enim obtigerant Istawnawend et Ardahan, ambarumque ex aequo curam gerebat. Quod si in Ardahane unus tantum vir fuisset, hanc ei numquam eripi potuisse ajunt, nisi . . . . . . eam invaderet. In hac igitur (*quam diximus*) arce se communiverat (*Khowarezm Schah*); quod postquam cognoverunt Tatari, eam obsederunt, et multa ligna congesserunt, quibus accensis, arcis lapides fissi sunt et divulsi, ipsaque munimentis suis nudata est. Tum vero in eam adscenderunt Tatari, et Ibn Khowarezm Schah pugnavit, donec interficeretur.

Isfadjin unus est e vicis Hamadanis, in tractu Wabhar (?) appellato. In eo invenitur turris ungularum, quae alta, et ex ungulis asinorum agrestium confecta est. Narrat Ahmed ibn Mohammed ibn Ishak Hamadanensis, regi Schabouro ibn Ardeschir ab astro-

astrologis praedictum fuisse, fore ut imperium amitteret, ablatumque deinceps recuperaret. Interroganti autem quodnam signum redituri ad se regni esset, responderunt hoc tum futurum, cum panem aureum in mensa ferrea ederet. Qui postquam imperare desiisset, solus profectus est per terras depressas altasque, donec ad hunc vicum pervenit, ejusque praefecto mercede se ipsum locavit, ut interdiu ejus arva consereret, noctu vero feras ab iisdem arceret. Hac autem in conditione aliquamdiu mansit, animum vere regium ostendens; quamobrem vici praefectus ejus fidem intelligens et alacritatem, ipsi filiam suam uxorem dedit. Quadriennio post, ubi infortunii illius tempora ad finem pervenerant, accidit ut in vico convivium nuptiale celebraretur, ad quod viri et feminae congregati erant. Uxor autem Schabouri ipsi (*in agro agenti*) quotidie cibum afferebat, sed isto die, ad vesperam usque aliis rebus impedita est quominus hoc faceret. Cum vero ejus reminisceret, domum rediit, sed nihil invenit nisi duo crusta panis milii. Haec igitur ipsi attulit, illumque arva rigantem reperiit. At quoniam canalis inter eos intercederet, uxori palam ferream porrexit, cui crusta imponeret; dein considens ut ea comederet, sibi in memoriam revocavit astrologorum illud placitum de pane aureo in mensa ferrea comedendo, adeoque intellexit res adversas finem suum attigisse. Ergo ubi hominibus se notum fecerat, collectis copiis, in regnum rediit. Quaerentibus autem quid ipsi calamitatis tempore gravissimum accidisset: Quod noctu arva, inquit, a feris (*asinis*) defenderem. Itaque in hoc loco asinos feros venati sunt innumerabiles, ex quorum ungulis illo jubente turris exstructa est, cujus altitudo erat quinquaginta, et circuitus triginta cubitorum, ex calce et lapidibus compacta. Ungues autem ferarum circa eam clavis affixae sunt. Turris haec illis in locis ad nostra usque tempora celebris fuit.

Aschtarwin tractus est magnus ad ditionem Kazwinis pertinens, et duas diaetas ab ea distans. Vicus est dives (?), bonis refertus, et proventu abundans. In eo habitavit Doctor Nour-eddin Mohammed ibn Khaled al Djebali, c. d. b. v.; vir magnae auctoritatis, signa et miracula edens, qui hunc vicum sibi habitandum delegerat, ibique uxorem duxerat. Huic loco omnia inde prospere cedebant, nam cultior, quam ante fuerat, evasit, et cum proventuum ubertate tum incolarum frequentia crevit. Iste Doctor autem ex parva semente magnam messem facere solebat, quae familiae suae sustentandae, et visitantibus excipiendis (nam multi ab omni parte advenientes eum invisebant) sufficeret. Inter mirabilia hoc referendum est, quod, anno quodam locustis in hanc regionem descendentibus, quae herbas tam virides quam siccas omnes absumerent, nihil mali arvis Doctoris illatum sit. Caeterum fuit hic vicus diversorium hominum, omnibus

busque beneficiis divinis propter hunc ipsum Doctorem cumulatus, donec desipientes illius incolae non amplius intelligerent gratiam Dei Supremi sibi propter Doctoris praestantiam concedi. Quippe dixerunt: arva nostra propter agros Doctoris exarescunt, nam aqua in nostris deficit, ut solius Doctoris sata rigentur. Quod ubi audivisset Doctor, vicum deseruit, et cum familia sua A. 614 (Chr. 1217—8) Kazwin migravit. Cujus discessus calamitatis instar fuit, qua domus eversae et canales collapsi sunt, unde aqua defecit, quam olim Doctori inviderant, et quam frustra, canali magnis sumtibus restituto, revocare conabantur vici illius praefecti.

(*Ispahan*). Ager Ispahanis pulcritudine omnium (*aliarum*) regionum agros vincit. Ait poeta:

Nihil est Ispahane, quod tristis desiderem, praeter aquas meri instar limpide fluentes,
Et Euri flatum ventique spirationem aëremque omnibus dulcibus suaviorem.

Fructus per totum annum manent recentes, triticum curculionibus non laborat, neque 23 (*occisorum animalium*) caro per plures dies mutatur. Urbs antiqua vocatur Djay, illamque ab Alexandro conditam ferunt. Oppidum vero majus dicitur Yahoudia, quoniam, cum Nebucadnezarus Hierosolymis captivos secum duxisset artifices et operarios, atque hi ad locum Ispahanis pervenissent, eumque aqua, aëre et solo Hierosolymis simillimum invenissent, hunc sibi locum habitandum elegerunt, in eoque substiterunt, illumque aedificiis frequentarunt. Hujus urbis terra stibium, herba crocus, muscarumque venenum mel est. Inter Ispahanis mirabilia hoc quoque censetur, quod quam diu ejus fructus in urbe manent, non magnum illi spargant odorem, qui, cum exportantur, tantus diffunditur, ut, si unum tantummodo pomum sit in caterva itinerantium, nemo in tota turba suavissimi odoris expers maneat. Invenitur etiam in ea genus quoddam pirorum, quae Malhi vocantur, quibus nusquam nascuntur similia. Arbores horum feraces cum salicibus maritant, unde fructus dulcissimi fiunt. Ejus oppidi artifices magnam in operibus suis ostendunt subtilitatem, nec facile alios invenias, scribendi elegantia, aut pictura aurea ferro imprimenda, Ispahanensibus pares; quod de cujusvis artificii genere affirmari potest. Nam omnes opifices ad tantum perfectionis gradum perveniunt, ut ex. gr. textores velum texant muliebre ex bysso, cujus, quamvis quatuor ulnas longi, pondus tantum quatuor unciarum sit; et figuli etiam conficiant scyphos quatuor unciarum, qui octo libras aquae contineant. Et secundum haec omnia ipsorum opificia censeantur. Hinc etiam plures artium et disciplinarum periti, veluti Jurisconsulti, viri literati, astrologi et medici orti sunt, quam ex ulla alia urbe. Imprimis vero principes poetae ibi excelluerunt, Anthologiarum auctores, aliisque sermonis elegantia, sententiarum ornatu, admirabili amatorii carminis aut extemporanei facul-

cultate praestantiores. In his numerantur Rafi' Persa . . . . ., Kemal-oddinus Ziad, Scharf-oddinus Safrouh (?) Azz-eddinus Safrouh, Djemal-oddinus ibn Abd-al Rezzak, Kemal-oddinus Ismaël, et Jemin-oddinus Meccanus, qui omnes magnos carminum libros reliquerunt, neque in aliis, praeter Ispahan, locis quemquam sibi habent parem. Eorum misereatur Deus!

Cognomen ab hac urbe habuit vir literarum peritus et praestans, Abou'l Faradj Ispahanensis, auctor libri de Cantilenis, in quo enarravit historias et res mirabiles Arabum, deque optimis eorum carminibus retulit. Liber est valde pulcer et utilissimus, quem hujus certe argumenti nullus alius superat. D. i. b. v.

Similiter ab Ispahane cognomen traxit Magister Abou Becrus ibn Fourek, c. d. b. v., Ascharitarum sectae addictus, sed qui propterea apud Deum nullam reprehensionem incurrat. Docuit diu Bagdadi, varia disciplinarum genera complexus. Composuit plus quam centum volumina de Corani Interpretatione, Jurisprudentia, et Fundamentis religionis. Deinde Nisabourem petiit, ubi domum et collegium ipsi aedificarunt. Dicit Magister Abou'l Kasem Al Kaschiri, Abou Becrum ibn Fourek sequentia retulisse: Delatus sum aliquando Schirazum in vinculis, ob calumniam de religione mihi illatam. Noctu ad urbem pervenimus; cum vero illuxisset et in cujusdam templi Mihrab (*sive latere Keblam indicante*) scriptum vidissem: Nonne Deus servo suo sufficit? tum vero intellexi rei exitum facilem esse futurum, adeoque bono animo esse coepi, neque eventus spem meam fefellit. Deinde Gaznam vocatus ibi multas adversus Keramitas disputationes habuit. At rediens in itinere veneno periit, et ad Dei misericordiam abiit. Sepultus est Nisaboure, monumentumque ipsius celebre est, ubi preces ad pluviam expetendam effusae a Deo exaudiuntur.

Cognominatur etiam ab eadem urbe Hafedh Abou Naïm Ispahanensis, c. d. b. v., phoenix seculi sui et unicum sui temporis ornamentum. Fuit auctor libri Ornatus dilectorum appellati, multaque alia opera conscripsit, atque etiam miracula edidit. Narrant populum Ispahanensem ipsi iratum illum templo prohibuisse. Cum vero Sultanus Mahmoudus ad eos praefectum misisset, hunc a plebe, irruptione facta, interfectum esse. Tum vero Sultanum ipsum ad eos profectum esse, qui, primum quidem, vitae securitate data, eos pacaverit, at deinceps die Veneris illis superveniens, januis templi obsessis, omnes magna strage interfecerit. Ita quicumque in templo erant perierunt, sed Hafedh Abou Naim, qui eo prohibitus fuerat, servatus est. 24

Sadr-eddin Abd-ollathif Khodjendita, c. d. b. v., ex eodem oppido oriundus est. Fuit vir primarius, cui obedientiam praestabant Ispahanenses, eruditus, concionator et poeta. Hunc ipsi venerabantur Sultani, eumque sequebantur centum arma-

 ti-

torum millia. Mohammed ibn Ildeguz Atabecus Seldjukidarum eum secum duxit, ipsique per longum tempus potestatem non fecit in urbem Ispahan redeundi, quoniam ab altera parte nolebat eum palam comprehendere, ab altera liberum dimittere verebatur, quod sibi ab eo malum oriturum timeret. Hinc istum sibi socium adjunxerat. Qui cum aliquando in consessu, ad declamationem audiendam convocato, de religione verba faceret, concioni forte interfuit Atabecus cum duobus filiis parvulis coram eo consistentibus. Quod e suggestu videns Sadr-eddin, occasionem arripuit et hos versus recitavit. (Deus rem optime novit).

Princeps injuste servos non opprimit. Quod si servum tractat benigne, nonne dimittit liberum?

Justitia Chosroïs quomodo manifestari potest, si nemo toto orbe peccata committit?

Quicumque liberos habet parvulos, is patrem a liberis suis non divellit.

Flevit Atabecus vehementer; fuit enim rex justus et misericors, c. d. b. v. Mortuus est Sedr-eddin, c. d. b. v., mense Schawalo A. 523 (Chr. 1128—9).

Narrant populum Ispahanensem ab avaritiae infamia vulgo notari. Unde referunt virum principem Abou'l Kasemum ibn Ebad Vezirum Madjed-addaulae Bouyidae cum Ispahan intrare vellet, dixisse familiaribus: quicumque aliqua re opus habeat, is eam petat antequam Ispahan ingressus ero; nam postquam intravero, in animo meo avaritiam inveniam, qualem alibi nusquam. Vir quidam testatur se Ispahane panem dedisse coeco eleëmosynam, et coecum respondisse: Deus peregrinationem tuam secundet! Tum alterum rogasse, quomodo se peregrinum esse sciret. Coecum vero regessisse: ex eo quod triginta annis abhinc nemo integrum panem mihi dedit. — Auctor est Emirus Husam ibn al Noöman, c. d. b. v., boves Ispahane valde robustos esse, ita ut in summam, quae existere potest, delapsi corporis tenuitatem, brevi omne robur et pinguedinem recuperent, quin immorigeri fiant, neque se duci patiantur.

In urbe Ispahan templum est, quod Khousania (?) vocatur. Quicumque in hoc templo pejeraverit, ejus membra macie confici narrant. Atque haec pervulgata apud Ispahanenses res est.

In ea etiam est fluvius Zarenroud, qui celeber est propter aquae dulcedinem et lenitatem. Si fila gossipina rudia et aspera illius aqua lavantur, laevia et nitida instar serici fiunt. Oritur in vico Banakan dicto, et multas aquas in se recipit, quibus major factus longius se diffundit, et Ispahanis hortos et vicos rigat. Dein transit per ipsam urbem, et arenis, quae ibi sunt, mergitur. At in Kermana rursus prodit 60 parasangarum intervallo ab eo loco, ubi sub terram descendit, variaque illius regionis arva rigans, tandem in mare Indicum se exonerat. Ferunt arundinem notis qui-

quibusdam insignitam eo loco, ubi sub terram mergitur, in fluvium dejectam fuisse, eandemque in Kermana iterum emersisse; unde probant hunc esse fluvium Zarenroud. (Deus quae bona sunt secundat).

Idadj urbs inter Ispahan et Khouzistan, multis terrae motibus obnoxia, multasque habens fodinas. Inter ejus mirabilia refertur species herbae Kakoli, cujus succus egregium remedium est contra arthritim. Ibi etiam est lacus, Hom Al Bawab (?) dictus, cujus aqua vorticibus torquetur. Si aliquod animal in eam inciderit, hoc non demergitur, sed in ea circumvolvitur, donec moriatur, deinde in ripam projicitur. Pons quoque ibi invenitur, inter mundi miracula relatus, qui a matre regis Ardeschiri pons Harah Zad vocatur, et super fluvium siccum exstructus est. Huic enim fluvio aqua deëst, nisi quando multa ceciderit pluvia, quo tempore maris instar fluctibus agitatur, et, qua per terrae superficiem patet, ultra mille cubitos, qua in profundum abit, centum et quinquaginta complectitur. Hunc vero pontem sic exstruxit (*Harah Zad*), ut lapides plumbo ferroque inter se conjungantur, et intervallum inter locum unde humo exsurgit, alterumque, ubi iterum in terram descendit, mille cubitos superet. Profunditas autem est ulnarum centum et quinquaginta. Quo altius adscendit substructio, eo fit angustior. Spatium vero inter latus torrentis pontemque, in altum surgentem ad quadraginta circiter cubitos a terrae superficie, ferri scoriis fuso plumbo in massam compactis implevit, quibus molibus pons innititur ita ut summus illius vertex supra terram suspendatur. Sic igitur omne intervallum inter duo latera torrentis, et pontis structuram plumbo, aeris (?) ramentis intermixto oppletum est. Pons hic constat uno arcu, estque mirabili structura firmiterque inter se compacta insignis. Eundem postea rupit Masmaeus (?), neminique per longum tempus integrum fuit, substructionem restituere. Quae res haud parum molestiae viatoribus creavit. Interim accolae eo pergentes in plumbo, quod ad structuram sustinendam infusum erat, magna cum vi extrahendo omnem modum excesserunt; donec opus reparavit Abou Abd-allah Mohammed ibn Ahmed al Ammi (?), Vezirus Al Hasani ibn Bouyae. Hic enim operas geometrasque conduxit, omnesque nervos facultatesque suas in illud negotium intendit, opificesque ex summo ponte canistris impositos ope trochlearum funiumque suspendit (?); nec tamen arcum nisi multis post annis absolverunt. Jam vero praeter mercedem operarum, quarum major pars ex ipsa ditione Idadji et Ispahane ad hoc opus peragendum vi adacta fuit, in illud erogata sunt trecenta et quinquaginta millia aureorum. Structurae ad nostrum usque tempus servatae contemplatio et inspectio considerantes in admirationem rapit.

Beroudjird regio est Hamadani propinqua, amoena, aquis, arboribus variisque fructibus, qui ad proximos tractus deferuntur, abundans. Parvam habet ditionem, nam

25

il-

illius ager, qui croci est fertilis, dimidii tantum parasangae spatium complectitur. Inter alia mirabilia de hac urbe narratur, antiquitus exercitum ad illius portam castra metatum esse; sed cum dies illuxisset, copias illas, in duros lapides conversas fuisse; cujus rei vestigia hodieque supersunt, quamvis temporis longinquitate dispersae sunt imagines et confusae, quippe imbrium ventorumque vi, Solisque illas exurentis radiis expositae. Nihilominus satis adhuc manifestum est, quaenam sit hominis aut bestiae aliarumve rerum figura.

Tehran vicus est amplus, ad Rayam pertinens, multosque habens hortos, arbores, et egregios fructus. Incolae domos subterraneas habent, tamquam foramina murium campestrium, in quas se recipiunt, quando eos hostes invadunt; quo fit ut hi post unius pluriumve dierum obsidionem (*re infecta*) discedere cogantur. Illi vero ubi ex terra prodierunt, multis caedibus et rapinis omnia vastant, et vias obsident. Plerumque ista gens Sultanis minime morem gerit, et nulla ratione, nisi lenitate et blanditiis in officio contineri potest. Sunt ibi duodecim vici, qui continenter inter se bellum gerunt. Cum vero obsequium praestant Sultano, congregat praefectus seniores vici, a quibus tributum postulet; et si de eo ex pacto regi solvendo inter ipsos convenerit, alius quidem gallum gallinaceum, alius urceum affert, eumque aurei loco accipi jubet. Sic quidem tributum solvunt, quod nisi placuerit, nullum omnino ab iis orietur commodum. Hi enim perpetuo rebellionem spectant: quamobrem praefectus contentus est, si nomine tenus obsequium profiteantur tributumque persolvant. Arva sua non subigunt boûm ministerio, metu ne, si rebellent, jumenta operi perficiendo destinata ipsis auferantur, sed palis; neque curant armenta vel pecora, ne hostes, quos, quemadmodum diximus, multos habent, illis potiantur. Eorum fructus multi sunt et valde pulcri, praecipue mala punica, quibus nusquam inveniuntur similia.

Regio Montana tractus est celeber, qui etiam Kouhestan vocatur. Ejus limites ab oriente sunt, desertum Khorasanae et Persidis; ab occidente Adzerbeydjan; a septentrione mare Khozarorum; et ab austro Iraca et Khouzistana. Praestat aliis regionibus bonitate aëris, aquae, et soli, ejusque incolae sunt integerrimi temperamento, formaque pulcerrimi. Ajunt tractum Deilemiticum juris et aequi impatientem esse, et praefectos rebellionem spectare. Hinc per literas imperasse ferunt Aristoteli Alexandrum, ut singulas convalles singulis traderet regendas: unde exstiterunt praefecti, qui Molouk Al Thawayef (*sive Reges regionum*) appellantur, quos, post discessum Alexandri rebellantes, subegit Ardeschir ibn Babec, auctor gentis regiae Sasanidarum. In ista autem regione, sibi aestiva delegerunt Chosroës, cum aëris ibi salubritas magna sit, et regio a vento Samoumo, aquarum calore, muscarumque multitudine, ferisque et

ser-

serpentibus, quae omnia per Iracam obtinent, omnino vacet. Idcirco cecinit Abou Dolaf Adjalita:

Ego vir sum Chosrois instar operibus; habito aestate in Regione Montana, et hyeme in Iraca.

In hac regione neque palmae, neque mala aurantia, neque mala Medica, neque mala citrea crescunt. Neque etiam ibi degunt elephantes, nec bubali; qui si in hanc regionem ducantur, intra annum moriuntur. Urbes hujus regionis majores sunt Ispahan, Raya, Hamadan, et Kazwin, immunerique montes et valles ibi reperiuntur.

Mons Arwend. Mons hic amoenus, virens et pulcher imminet Hamadani. Narrat quidam Hamadanensis: Adii, inquit, Djafarum ibn Mohammed Al Sadik, q. d. b. v. et unde venirem interroganti, Hamadane me venisse respondi. Porro an montem igitur Rawend cognoscerem quaerenti: Ita salutem tuam meâ, inquam, Deus redimat! mons ejus Arwend appellatur. Ita est inquit. In eo certe unus est ex Paradisi fontibus. — Hanc aquam, quae invenitur in cacumine montis, Hamadanenses hauriunt. Prodit haec certo anni tempore scaturiens ex fissura lapidis, estque dulcis et valde frigida. Quando justi dies praeterierunt, subsidit aqua usque ad tempus constitutum anni proximi; neque maturius neque tardius erumpit aut fluere desinit. Est etiam haec aqua infirmis saluberrima, eamque aegroti ex omnibus regionibus adeunt. Narrant eam magna copia adesse, quando multi adsunt homines, minore vero, ubi pauciores.

Mons Bisotoun inter Hamadan et Holwan situs, est altus et praeceps, ejusque fastigium adscendi non potest, quoniam a cacumine ad radicem glaber est et tamquam dolatus. Ejus latitudo est triduo major. Historiae Persarum referunt amasiam Chosrois Aberwizi Schirinam, quae pulcritudinis et elegantiae caussa celebratur, dilectam fuisse a quodam viro lapicida, cui nomen erat Ferhadus; ejusque amorem, quo imprimis se jactaret, inter homines divulgatum fuisse. Ergo re ad Aberwizum delata, rex consiliarios suos, quid illis de hujus viri negotio videretur, interrogavit. Si hominem, inquit, intactum relinquam ejusque consilia negligam, puellam violabit et expugnabit (?). Quod si interficiam aut in vincula conjiciam, poenae ab innoxio sumentur. Respondit aliquis eorum qui aderant: talem lapidem ei caedendum committe, in quo per totam vitam occupetur. Quod consilium cum Chosroës approbasset, eum adduci jussit, (erat autem vir crassi corporis et proceri, instar cameli in venerem ruentis.) 27 Hominem honorifice excepit Chosroës, ipsique dixit: viam nostram lapis obsidet, impediens quominus per eam libere commeëmus. Volumus ergo ut hanc viam nobis aperias, ejusque transitum facilem reddas. Tuam quippe in rebus agendis audaciam et ingenii

acumen cognoscimus. Significabat autem Bisotounum, propter ingentem ejus altitudinem et lapidis duritiem. Tum opifex: lapidem hunc, inquit, e via regis tollam, si mihi promittat Schirinam. Quae res licet regem, cujus pellex erat, affligeret, attamen secum dixit, quis Bisotounum secare poterit? et Ferhadum alloquens: Fiet hoc, inquit, si rem perfeceris. Tum Ferhadus a rege discessit et montem secare aggressus est, viamque in eo designavit, quae latitudine viginti equites caperet, et altitudine signa et vexilla superaret. Secabat autem per diem integrum, et tota nocte frusta auferebat, quorum quae magna et proportione sibi invicem similia essent, ordine concinno in montis radice disponebat, eorumque fissuras lapidum fragmentis implebat et his lapidibus viam aequaliter sternebat. Erat sub monte (*rupes*) instar turris magnae, quam (*pariter*) per partes omnes inter se aequales excidit iisque dejectis (*viam munivit*). Vidi, cum juxta montem procederem, imaginem turris, cujus latera essent aperta, frusta autem inde desecta procul jacebant. Conspexi etiam tabulas ex lapide excisas, magnitudine aequales, per quas equos (*olim*) incessisse ex vestigiis apparebat. Item singularum tabularum lateribus duo foramina inesse animadverti, quibus manus inter tollendum imponeret. Interim Chosroï aliquando narratum est quanta diligentia in exsecando monte occuparetur. Dixit enim aliquis praesentium: Equidem vidi hominem singulis ictibus totos paene montes dejicientem, et si eodem modo pergat, brevi viam aperiet. Quod cum metueret Chosroës, quidam eorum Regi hoc negotium se ex voto perfecturum esse dixit, misitque aliquem ad Ferhadum, qui ipsi Schirinam mortuam esse nunciaret. Quod cum audivisset, securim suam in lapidem impegit firmiterque constituit, dein capite securi illiso, sibi ipse necem intulit. Spatii autem, quod ex monte exsecuit, tantum est, quantum sagitta projici potest. Haec vero vestigia hodieque supersunt adeo manifesta, ut nulla de iis dubitatio esse possit. Narrat Ahmed ibn Mohammed Hamadanensis in radice montis Bisotounis palatium excavatum esse, in cujus medio inveniatur simulacrum equi Chosroïs Schebdizi ex lapide dolatum, cui Aberwizus insideat; atque in muris palatii esse effigiem Schirinae ejusque famulitii, quam Fathros filius Sennamari illius, qui arcem Khawarnakam extra Hiram condidit, confecisse narratur. Caussam conditi monumenti hanc fuisse ferunt. Equus Schebdizus erat animal ingenio acutissimum, et statura maximum, atque indole praestantissimum, cursusque diuturni patientissimum, qui nec mingebat nec fimum emittebat quamdiu ephippium ipsi esset impositum; nec hinniebat aut ore spumabat quamdiu fraenum ipsi additum foret. Rex quidam Indiae hunc equum dono dederat Aberwizo. Accidit autem aliquando ut equus aegrotaret, et ingravescente morbo, Chosroës eum, qui ipsi ejus mortem nunciasset, se interfecturum minaretur. Postquam igitur occubuisset, stabuli regii magister extimuit ne de equo a rege in-

interrogatus, mortem illius referre cogeretur. Adiit itaque Barboudum cantatorem, ab eoque petiit ut Chosroëm inter canendum de morte equi certiorem redderet. Erat enim iste Barboudus hominum in canendo solertissimus. Qui cum roganti paruisset, atque Chosroës cantilenam audivisset et intellexisset: Vae tibi! inquit, mortuus est Schebdizus. Rex ipse dixit, retulit alter. Tum Chosroës de equo glorians: Quam egregiae, inquit, fuerunt dotes tuae, quibus alios superasti! Moerorem ipsius sedavit tamen, simulacro equi facto, Fatros ibn Sennamar, qui ejus formam tanta cum arte descripsit, ut inter vivum fictumque nihil interesset nisi spiritus idemtidem redeuntis indicium. Chosroës autem ad contemplandam imaginem accessit et lacrymas fundens: Ligata est, inquit, neque ad nos pergit ista effigies, nobisque in memoriam revocat illud, quod cum nobis imprimis placeret, fatum invidit, (*ostenditque*) formam nostram obliteratum vestigiaque certissime deletum iri. At ista tamen imago vestigium pulcritudinis formae nostrae servabit illis, qui eam postea sunt consideraturi: non aliter ac si ex eorum essem numero, et praesens inter ipsos versarer. Narrant ad hujus imaginis mirabilia etiam hoc pertinere, 28 quod alia ei similis nusquam conspecta sit, nec ab eo inde, quo facta est, tempore quisquam eleganti ingenio et subtili contemplandi diligentia praeditus, ad eam accesserit, quin eam admiraretur: ita quidem ut nonnulli dixerint eam humana arte factam non fuisse. Nam sane pictor tantam a natura praestantiam acceperat, quantam alius nemo. Quid vero est mirabilius quam quod lapides ipsius voluntati quasi morem gesserint, ita ut, quo loco colorem rubrum mallet, ibi ruber foret, quo loco album, ibi albus, et sic in ceteris coloribus! Et sane manifestum est colores, quos in eo concinnavit, dimidiam partem mirandi operis esse censendos, quippe qui temporis longinquitate mutati non sunt. Finxit autem equum in medio palatio stantem, Chosroëmque ipsi insidentem, lorica indutum, cujus annuli ex ferro confecti esse videntur, in quibus etiam claviculi apparent: Schirinam vero ita formavit, ut decor et vultus elegantia in ipsa apparerent, hominesque in sui amorem admirationemque raperet. Quin etiam audivimus aliquem ex amore simulacri in (*insaniae*) calamitatem incidisse, qua de caussa statuae nasum fregerunt, ne quis alius illius desiderio corriperetur. Caeterum Schebdizi historiam his versibus celebravit Khaled Al Kabbas.

Regem Chosroëm potentissimum assecuta est sagitta plumâ ex alis fati horribilis
(Dum voluptas ipsius fuit Schebdizus, quo vehebatur, et amor Schirinae, et sericum et aroma)
Igne, qui vehementissima clade opes (?) affligeret. Nam Schebdizus ex anguis ictu febri correptus est.
Donec, cum Schebdizus nece prostratus esset, cui, inter hominum jumenta, nullum par fuit,

 In-

Instrumenta musica tetrachorda in eum naeniam luderent lingua Persica, naeniam suavi cantu insignem,

Et magus modularetur chordis, manuque sinistra ludentis praestigiis amatoria carmina quasi ignem spirarent.

Dixit Chosroës: mortuus est! Responderunt: tu rem cepisti. Mane invasit eum serpens et abreptus est.

Nisi per Barboudum et chordas in ipsius manibus, aulae principes Schebdizi mortem (regi) *nuntiare non potuissent.*

Propensamque se ipsis ostendisset fortuna, debitos mercedis fructus persolvens (?), *nec quidquam nisi ludicra de illis conspecta fuissent.*

Mons Damawend, haud longe a Raya distans, astra sua altitudine, eorumqne mansiones inaccesso vertice petit, ita ut nec pecudes eum adscendere, nec aves eum circumvolare possint. Narrat Mesaâr ibn Mohalhal hunc montem esse altum, excelsum, et valde eminentem, quem nix neque aestate neque hyeme umquam relinquat, et cujus fastigium homines attingere nequeant, quique inde ex Hamadanis collibus conspiciatur. At qui Rayae illum cernit, Damawend sibi imminere existimat, et tamen distantia duarum parasangarum eum inter et urbem interest. Montem hunc, (*addit Mesaâr*) ad ejus fere dimidium usque, cum magna difficultate et vitae periculo adscendi, ibique fontem sulphuris, sulphure indurato circumdatum, vidi, qui sole verticem superante flammam concipiebat, ita ut fumus ex fonte illo sulphureo adscenderet. Narrant harum regionum incolae, quando formicas multa frumenti grana in horreum recondere vident, annum fore sterilem; et quando pluviae continenter cadunt, ita ut ex illis detrimentum capiant, lacte caprino in ignem injecto, imbres confestim cessare. Hujus autem rei, inquit, saepius periculum feci, illamque veram inveni. Porro affirmant, si quando cacumen montis a nive vacuum videant, bellum oriri sanguinemque fundi ab ea parte quae nive nuda conspiciatur. Prope hunc montem etiam est fodina stibii, (quod ab urbe Raya Al Razi appellatur) lithargyri, plumbi, et chalcanthi, teste eodem Mesaâro, qui haec omnia retulit. — Mohammed Ibn Ibrahim Aldharrab, famâ, inquit, ad patrem meum 29 pervenerat, in monte Damawende esse fodinam sulphuris rubri, quod ergo haustris ferreis, longis brachiis praeditis, extrahere tentavit. Idem tamen ferrum cum ad sulphuris ignem admoveretur statim liquefactum esse dicit. Narrant Damawendis incolae duos venisse viros ex Khorasana cum haustriis ferreis longis, quibus sulphur regi cuidam effoderent. — Dicit Ali ibn Rezin, vir sapiens et auctor librorum, missam esse aliquando turbam quandam hominum ad montem Damawend, qui est mons magnus et in aërem sese extollens, atque ad centum parasangarum distantiam conspici potest.

Illius cacumen semper quasi nubibus compactis, nec hyeme nec aestate deficientibus, occupatur, et ex ejus radice prorumpit rivus aquae flavae, sulphuratae. Haec itaque turba narravit se ad montis fastigium quinque diebus et totidem noctibus pervenisse, seque illud reperisse centum circiter jugera amplum, licet mons ex inferiore loco contemplanti coni formam referre videatur. Porro dicebant se in eo vidisse arenam, quae vestigia impressa non servaret; nullam vero invenisse bestiam, nullaque animalis indicia; neque etiam avem ad ejus cacumen pervenire posse; frigoris vero et venti magnam esse vehementiam. Ibi se numerasse ajebant septuaginta foramina, ex quibus fumus sulphureus prodeat, atque circa singulos crateres jacere sulphur auri instar flavum, ex quo aliquid secum sumserint. Adjiciebant denique ex illius cacumine despicienti montes sublimes collibus similes, et mare Khozarorum, a quo viginti parasangas distat, parvum fluvium referre videri.

In eadem provincia etiam est mons Sawae, qui unam diaetam ab hac urbe distat. Hunc montem altum esse ipse experientia cognovi. Cum ipsum eo usque adscendissem, quo telum projectum pervenire possit, ibi palatium magnum conspexi, quod mille homines facile contineat, et in cujus postica parte prodeunt ex fornice quatuor lapides mammae mulieris similes. Ex horum tribus certatim aqua stillat, sed quartus est siccus; quae res, ut Sawae incolae referunt, ex eo orta est, quod vir infidelis sugendo ex eo bibisset. Infra hos lapides, ex quibus aqua manat, receptaculum jacet, huic recipiendae idoneum. Janua palatii, quae duplex est, foramen habet. Intus autem humus hic elevatur illic deprimitur. Dicunt Sawenses filium probi viri alteram januam intrare et alterâ exire posse, meretricis vero filium id frustra conari.

Ejusdem quoque regionis mons est Carcascouh, cujus circuitus est duarum parasangarum, situs in deserto inter Rayam et Kom. Via, qua in hunc montem adscenditur, in deserto longe a tractibus cultis remotum, admodum confragosa est. In medio est plaga aquis irrigua, et undique editis cincta locis, quique in ea versatur undique veluti sepimento clausus est. Vocatur autem Carcascouh, quoniam vultures in illo nidulantur; Carcas enim vulturem significat. Munitissima arx foret refugii locum quaerentibus; cum vero in deserto a cultis regionibus segregato situs sit, nemo illac transit.

Ibidem etiam jacet mons Nahawend, prope urbem hujus nominis situs. Narrat Ibn al Fakih in hoc monte duo esse telesmata, piscis et tauri (*signorum coelestium*) formam habentia, quae aquae caussa adesse dicuntur, ne deficiat. Dividitur autem illa aqua bifariam, nam pars ad Nahawend, pars ad Dainowar ducitur.

Porro ibidem invenitur Mons Yalah Bascham, situs prope vicum Yal dictum, et ad ditionem Kazwinis, a qua urbe tres parasangas distat, pertinens. Narravit mihi aliquis, qui hunc montem adscendit, in eo esse effigiem animantium, quae Deus Opt. Max. in lapidem mutaverit, in his pastorem baculo suo innixum, et pecudes suas pascentem; mulierem vaccam mulgentem, aliasque hominum et animalium figuras; quemadmodum Kazwinenses optime norunt.

30 A Regione Montana cognomen habuit Vezirus Mohallebus ibn Abd-allah, c. d. b. v. quem suo munere egregie functum cruciatu affecit fortuna, ita ut in summas vitae sustentandae angustias redactus sit. Huic quidam amicorum in itinere, quod suscepit, socium se adjunxerat. Cum igitur aliquando vehementer carnem appeteret, sed nihil, quo eam emeret, haberet, amicus ipsi carnem emit nummo argenteo, quamobrem cecinit:

Nonne fatum venum offertur? quin illud emito! nam haec vita nihil habet, quod jucundum sit.

Cum sepulcrum eminus conspicio, opto me fore ex illius incolis.

Misericors maxime, qui fratri, nisi bona sors ipsi serviat, largitur mortem ut eleëmosynam.

Postea ubi conditio ejus in melius mutata et moestitia sublata fuit, idem amicus virum adiit, et a janitore ingressu prohibitus haec schedae inscripsit:

Nonne parvum fuit Veziro, quod dixi: redimat te anima mea et familia mea, quin etiam quodcumque possideo.

An recordatur se in summis vitae angustiis dixisse: Nonne fatum venum offertur? quin illud emito!

Tum arcessivit eum Mohallebus salutavitque et inter intimos habuit.

Djorbadzakan, oppidum in regione Kouhestanis, inter Ispahan et Hamadan, muro et arce munitum. Habuit principem Hamel Nadah dictum, qui nullum Kouhestanis regem obsequii praestandi caussa adibat. Hic locum quemdam munitum occupans, domum suam januis, vectibus et custodibus sepserat. Hoc autem ipsi reges condonarunt, infaustum fore putantes, si eum noxa afficerent locoque ejicerent. Ita quidem haec res aliquamdiu mansit, donec imperium Regionis Montanae pervenit ad Khowarezm' Schahum Mohammedem, qui illam suo regendam tradidit filio et Emado Al Molk. Cum igitur Emad al Molk ad Djorbadzakan venisset, narratum ipsi est de consuetudine Principis, qui neminem salutandi caussa adiret. Quamobrem iratus Emad misit qui ipsum arcesseret, dein adversus renuentem exercitum suum proficisci jussit, qui vi urbem ingressus, Principem, in arce sua se tuentem, aliquamdiu obsedit. Utrimque

que multi cecidere. Princeps vero cum ad extremas angustias redactus esset, noctu descendit et aufugit. Tum Emad al molk arcem diruit, plurimosque civium interfecit, quoniam multos suorum occiderant. At euge (?) brevi post, exercitus Tatarorum supervenerunt, qui Emad-al Molkum in fugam se conjicientem, una cum filio Khouarezm Schahi, in via interfecerunt: quo facto Princeps ad pristinam suam conditionem rediit.

Djouhesteh pagus est Hamadanis, in quo castellum Bahram Djour. Bahram erat unus ex regibus Persidis, jaculandi peritissimus, in qua arte neminem sibi similem habebat. Est autem haec arx maxima, totaque ex una rupe confecta, in qua domus, conclavia, horrea, coenacula, structurae altae ac sublimes, murorumque ambitus excavata sunt. Habet vero cubicula, horrea, vestibula et conclavia; in quorum nonnullis inscriptiones sunt Persicae, historias regum antiquorum et egregia eorum facinora continentes. Quin in singulis columnis est species puellae inscriptione ornata. Haud procul arce jacet pyreum Thaibah (?), cujus commemoratio, Deo volente, postea sequetur.

Holwan est urbs inter Hamadan et Bagdadum sita. Fuit antea culta et florens, nunc autem est deserta. Ejus ficus et mala aurantia sunt praestantissima, qualia in aliis regionibus non inveniuntur. Cingunt hanc urbem multi fontes sulphurei, quibus haud pauci morbi curantur. Fuerunt ibi etiam duae palmae celeberrimae juxta viam catervarum. Cum accessisset Mathia ibn Ayas ad hanc urbem, dixit:

Beate me (umbra vestra) *o duae palmae Holwanis, et ad lacrymas me commovete ob hujus temporis infortunium!* 31

Et scitote ejus adversam fortunam numquam abstinere ab amicis vicinisve a se invicem segregandis.

Beate me et superstites manete! at vero calamitas brevi vos adorietur, et a vobis invicem segregabimini.

Narrat Madainensis Mansourum has arbores praeteriisse, quarum alteram, cum in ipsa via exsurgens onerum sarcinarumque transitum impediret, exscindi jussit; sed cum versus Mathiae ipsi recitarentur, (*ab incepto destitit*) dicens: se infortunium istud (*a poëta memoratum*) esse nolle. Deinde Al Mahadi eas praeteriit et loci amoenitate delectatus, Mahassam cantatricem advocavit, eamque per vitam suam adjuravit ut pulcritudinem loci cantilena ornaret. Ergo cecinit:

O geminae palmae vallis meae, cujus eheu janitor (?), *dum dormitat custos palmeti vos succidere parat.*

Tum ille: Bene rem tuam egisti, inquit. Equidem animo illas exscindere decreveram; tu

tu vero me prohibuisti. At illa respondit: per Deum te obsecro ut illis benignum te praebeas. Deinde recitavit verba Mathiae. Postea eadem via tendens Raschidus, cum in Khorasanam pergeret, Holwane sanguinis conturbatione affectus est, quam ut tolleret, palmae medullam ipsi medicus praescripsit. Eandem vero petenti praefectus Holwanis respondit tractum istum palmis carere, nisi quod duae in colle starent, quarum ergo altera ejus jussu excisa est. Cum vero deinceps has arbores praeteriret Raschidus, alteram truncatam, alteram adhuc stantem invenit, in qua haec scripta legebantur:

Et scitote, si in vita conservamini, calamitatem brevi vos invasuram, ita ut divellamini.

Quamobrem moerore affectus est Raschidus et dixit: Hoc equidem aegerrime fero, quod illis infortunii caussa fuerim. Quod si hoc carmen audivissem, hanc palmam non exscidissem, si vel sanguis mihi interitum attulisset. Forte autem accidit, ut ex isto itinere numquam rediret.

Khowar oppidum in regione Kouhestanis, inter Rayam et Nischabour. In hac urbe magna est gossipii copia, quae hinc in alias regiones defertur. Ab ea cognomen traxit Djelal-eddin Khowarita, c. d. b. v. Fuit hic concionator, qui ista aetate neminem sibi parem habuit, carminum aliorumque librorum, soluto sermone scriptorum, auctor, orationis extemporaneae facultate excellens, et nobilioribus non minus quam plebejis acceptissimus. Narrant Sultanum Thogrul ibn Arslan Rayam venisse, ejusque exercitum equos suos per agros consitos pastum misisse. Tum vero Sadr-eddinum al Wezzanum abiisse, et secum duxisse Djelal-eddinum Khowaritam, qui Sultano discrimen inter fas et nefas in memoriam revocaret, eumque quid satis accidisset doceret. Cum igitur Sadr-eddinus ejusque socii apud Sultanum intrarent, Djelal-eddinum a janitore prohibitum relinquere coacti sunt. Intromissi cum Djelal-eddinum ad orationem habendam circumspicerent, et eum a janitore non admissum audirent, veniam introëundi pro eo a Sultano petiverunt; qua concessa, ingressus et orationem exorsus jussu Sultani consedit et ita locutus est:

Servus imperii tui, qui jussus consedit, ibi pedibus constitit, ubi janitor sedebat.

Nuntius ex Sultanorum jussu (?) ad eum venit, dicens: Ingredere: nam Sultanus consedit.

At cum adorandi locum (aulam) *conspexi, nuntius falsa dixerat; nam Alexander in Solimani solio considebat.*

Petitionem profero: nam nemo tibi similis est in terris; et ecce hoc etiam indicium justitiae, quod Wezzanus (ponderator) *hic sedet.*

Exer-

Exercitus tuus dimissus, qui formicarum et locustarum instar est, in mediis aristis frumentoque villici sedet.

Pluviam justitiae demitte, nam filius pulveris phiala est (quae eam excipiat); *quae nunc vero decidit pluvia, nec plena spei est, nec quidquam promittit.*

Haec ex tempore recitavit, omnesque in admirationem rapti sunt, qui aderant: Sultanus autem maximopere delectatus, omnem ab agris noxam amoveri jussit. 32

Damasaban pagus quidam est Kazwinensis, decem parasangas ab ipsa urbe distans, cujus incolae rete habent valde magnum, omnibus commune, ita ut alii partem capti animalis obtineant, alii totum animal. Hac mensura usi eam emtione et venditione distrahunt et ex haereditate accipiunt. Quotannis autem semel iterumve hoc rete erigunt, et in illud praedam compellunt; quae ubi intravit, introitum occludunt, ipsi rete subeunt praedamque sagittis, fundis et baculis petunt. Multa vero animalia in hoc rete compelli solent, quae inter se ex pacto dividunt, pro portione retis quam quisque possidet; carnemque in ollis coquunt.

Dair Cardeschir jacet inter Rayam et Kom, in medio deserti aquâ carentis et periculosi, cujus tamen transitum monasterium illud ab Ardeschiro ibn Babec conditum minus molestum fecit. Est arx magna, substructione ingenti altoque muro praedita, et ex magnis lateribus coctis exstructa. In ea sunt domus, porticus et fornices ejusque impluvium spatium duorum jugerum, vel etiam majus, amplectitur. Receptaculis e lapide excavatis et amplis cingitur, ex quibus viatores per totum annum bibant. In quadam columna aedificii hoc scriptum est: Singuli lateres hujus coenobii unius constant nummi argentei pretio, item triginta tribus libris panis, sextario olerum et tantum vini, quantum unius lateris est pondus. Quibus si quis fidem habeat, is idem pretium accipiat: sin minus, caput columnae, cuicumque velit, illidat.

Roudzabar tractus est in Regione Montana, montibus vallibusque refertus, arboribus aquisque frequens. Per pagos et castella munita incolitur, quae Dailomitae tenent.

Ab eo cognomen habet Abou Ali Ahmed ibn Mohammed Roudzabarius, qui quidem ex hac regione oriundus erat, sed Bagdadum habitatum abiit, ibique Ibrahimum Al Haranium (?) traditiones narrantem audivit, Abou'l Abbasum ibn Seridj jurisprudentiae antecessorem habuit, et Tsalabi literas humaniores tradentis scholas frequentavit, sociusque fuit Djoneidi, qui, teste Abou Mansouro Maâmaro Ispahanensi, sequentia retulit: Audivi aliquando Abou Alium Roudzabarium narrantem, se variis occasionibus mille nummos pauperibus erogantem (*adeo comiter cum illis esse versatum*), ut numquam manum suam pauperis manui (*prior*) imponeret; sed pauperes ipsi ejus manum semper prehenderent, suasque manus ipsius manui injungerent. Mortuus est in Aegypto A. 322 (Chr. 933—4). Sit ipsi Dei misericordia et benivolentia.

 Co-

Cognominatur etiam ex ista regione Abou Abd-allah Mohammed ibn Aththar, Roudzabarius, de quo hoc narrat Abou Alius, cum aliquando camelo vectum, cum pes jumenti in arenas demergeretur, Dei O. M. auxilium invocasse, et camelum eadem verba repetiisse. Eodem teste aliquando cum sociis nonnullis ad convivium invitatus fuerat; quo cum per viam pergerent, virum quemdam dixisse ferunt: Hi sunt Sufici, qui aliorum opes publici juris esse existimant. Dein laxatis linguae frenis: Nam, inquit, quidam eorum aliquando centum nummos mutuo a me accepit, neque umquam reddidit; atque equidem nescio unde illos repetere debeam. Tum vero Abou Abd-allah convivii domino, qui tum ipsi, tum universae sectae Suficae, impense favebat: Des mihi, inquit, centum drachmas; quas cum ille attulisset, amicorum suorum aliquem eas ad istum hominem deferre, atque ipsi significare jussit, nummos illos esse, quos sociorum Suficorum aliquis quondam mutuo ab ipso accepisset. Quin etiam ad illos pervenisse illius viri nuntium, se (*ob tantas moras*) excusantis.

Roudzawar tractus est Hamadani contiguus, tres parasangas ab ea distans, et nonaginta tres vicos arvis consitis inter se junctos continens, densis hortis obumbratos, et fluviis 33 perennibus manantes. Illius arbores varia ferunt genera fructuum, propter soli bonitatem, aquae dulcedinem, aërisque salubritatem. Solum quoque croci feracissimum est, qui (*alias*) nusquam in toto orbe terrarum provenit melius quam in regionibus Mazenderan.

Ab hoc terrae tractu cognomen habet Imamus, Fakhr ol Islam (i. e. *gloria Islamismi*), Abou'l Mahasen al Roubani c. d. b. v. Hic primus fuit, qui de Bathenitarum impietate sententiam proferre auderet. Nam illi dixerant sibi opus esse magistro qui viam ad Deum doceat: hic autem magister nihil nisi sui observantiam praecipiebat, reliqua, utrum observare malint an omittere, suorum arbitrio relinquens. Ergo Doctor venit, et in responso suo de hujus sectae impietate Kazwinensibus praecepit, ut ab omni cum Bathenitis commercio abstinerent: quod nisi fecissent, illos, dolis quippe studentes, Kaswinensium nonnullos circumventuros, qua ex fraude necessario dissensio rixaeque oriturae sint. Doctoris consilio obtemperatum est, et si vel avis ex isto tractu venisset, eam interficiebant. Vix autem Roubanam redierat, cum Bathenitae, misso ex Feddaeis (*sive devotis suis*) aliquo, eum de medio tollerent. Misericordia sua et gratia ipsum prosequatur Deus! nam laude dignus vixit et martyr occubuit.

Raya urbs est celebris; recensetur inter matres urbium, et insignia oppida. Est referta bonis, proventu fructibusque abundans, et antiquis jam temporibus exstructa. Ibn al Kalbi eam conditam esse refert ab Houschenko, qui post Kayoumarathum fuit. Alii vero eam fundatam esse narrant a Razo ibn Khorasan, quoniam derivatum ab ea nomen

men gentile est Razi. Est autem urbs miranda, in planitie sita, et a latere montem calvum, nulla herba felicem, et Thirac dictum, sibi adjunctum habens. Eo in monte fodinam auri esse ajunt, quam tamen explorare desierunt, quia liquefacta ramenta sumtibus operis ferendis vix sufficerent. Hujus urbis omnes domus privatae infra terram sunt depressae, tenebricosae et accessu difficiles; quod ab incolis ob frequentes copiarum militarium incursiones factum est. Nam hostiles domos depraedabantur, amicae illas invitis civibus insidebant. Quam calamitatem ut effugerent, aditus domorum obscuros fecerunt. Qui solum urbis foderunt, gemmas pretiosas et frusta auri invenerunt. Cum enim sedes imperii regii numquam esse desierit, latent ibi thesauri, de quibus identidem aliquid apparuit. Sic A. 614 (Chr. 1217—8) tempore Ogulmischi atrium repertum est, ex quo nummi aurei ignotae formae effodiebantur, ab incerto rege cusi. Hanc urbem saepius, vel ferro, vel soli ruina, deletam fuisse memorant; quod vero oppidum nunc incolitur, illud, teste Djafaro ibn Mohammed Rayensi, Mohdius, cum regnante Khalifa Al Mansouro huc accederet, condidit, opera usus Ammari ibn Al Hasib, idque A. 158 (Chr. 774—5) perfectum est. Aqua per mediam urbem decurrit, sed inquinatissima est: nam sordibus quibusvis lavandis inservit, quin et aqua thermarum in eam se exonerat. Quamobrem nec incolae hanc aquam hauriunt, nisi media nocte, quoniam tum sordibus, quae in eam inciderunt, purgata est. Ejus aër tempore autumnali est fervens et venenatus, etiam quando agitatur, et peregrinis praecipue nocet. Fructus vero in hac tempestate ibi multi et viles sunt, veluti ficus, mala persica et uvae. Hae tamen non possunt ad hyemem usque servari. Quamvis quaedam ibi species uvarum gignitur, Malahi dicta, cujus baccae pares sunt dactylis maturescere incipientibus, racemi vero racemis palmarum aequales saepe centum librarum pondus habent. Hoc genus certe ad hyemem usque edurat, et Rayâ Kazwinum toto tempore hyberno defertur. Harum licet baccae tantae sint, tamen pellis mollis est, et ipsae boni sunt saporis. Est praeterea his in locis aliud genus uvarum, quod Razekiis, quae vocantur, est simile, nisi quod vitis ipsarum sit valde debilis. Has quando colligunt, in umbra relinquunt, donec passae fiant. Hujus generis uvae passae optimae sunt, et in alias regiones deportantur. Aufertur etiam ex Raya lutum, quo, qui in summa mollitie vivunt, caput lavare solent, quodque per varias regiones tractusque dono mittitur. Pectinum opifices Rayenses ab operis subtilitate laudantur, et pectines conficiunt pulcherrimos (qui pariter dono in alias regiones mittuntur), item instrumenta, et supellectilem ex ligno Khalandj. Hoc lignum invenitur in Thabaristana, unde illud quaerunt; habetque ex se quidem nullam lenitatem mollitiemve, at Rayam delatum incolae semel iterumque torno subi- 34

gentes mollefaciunt et subtile reddunt, variisque picturis ornatum per omnes regiones ubivis deferunt. Incolae Rayae sunt Schafeitae et Hanefitae, sed Schafeitae numero pauciores sunt Hanefitis. Hi tanto odio se mutuo prosequuntur, ut saepe ad arma ventum sit; sed victoria semper penes Schafeitas fuit, qui, etsi parva manu, omnes tamen Hanefitas superarunt. Caeterum Rayenses caedibus et fundendo sanguini deditissimi sunt, quamvis beneficentia et generositate non carent, cujus rei hoc argumentum esse poterit. Vir quidam, ut ajunt, divitiis abundans, vicinus fuit cuidam viro malefido et subdolo: cumque aliquando uxori viri divitis partus instaret, (quo tempore apud eos moris est, domum exornare, atque utensilia et supellectilem spectandum proponere), familiares in summa instantis mali securitate agentes, omnes apud parturientem congregabantur; ita ut ex duabus domibus, quae viro erant, altera hominibus prorsus vacua esset. Ibi veterator iste, de quo diximus, socios allocutus, Quid vos impedit, inquit, quominus huc divertamini et colligatis quidquid in hac domo est? Jamque digressi quaecumque reperiebant extulerunt, cum subito auditus est tumultus mulierum, prolem masculam peperisse exclamantium. Tum vero praedo ad suos conversus: Hi certe, inquit, propter hunc recens natum laetantur. Quodsi senserint quid rebus suis acciderit, gaudium in dolorem vertetur, et infantem male ominatum existimabunt. Ergo illis supellectilem reddite, ut eorum laetitia augeatur, et puer auspicatae indolis esse videatur. Ergo hominibus istis inclamarunt: Recipite supellectilem vestram, quam vobis hujus recens nati gratiâ reddimus.

Ab hac urbe cognomen habuit Imamus sapiens Abou Abd-allah Mohammed ibn Omar Rayensis, cujus animum Deus sanctum habeat! vir excellens, sui temporis antecessor, suaeque aetatis coryphaeus et miraculum, quem longissimi profecto sermonis argumentum habiturus eram, si linguam modo aptam reperirem. Refert Abou'l Kasem Ali ibn Hasan ibn Asaker ex traditione, Abou Horairae ministerio a legato Dei accepta, Deum supremum Moslemis quovis seculo aliquem mittere solere, qui religionem denuo corrigat. Sic initio seculi primi fuisse Omarum ibn Abd-alaziz; seculo secundo ineunte vixisse Mohammedem ibn Edris Schafeum; seculi tertii principio Abou'l Abbasum Ahmedem ibn Seridj; seculum quartum aperuisse Kadhium Abou Becrum Mohammedem ibn al Thaib Bakelanitam; seculi vero quinti initiis floruisse Abou Hamedum Mohammedem ibn Mohammed ibn Mohammed al Gazalium; denique ineunte seculo sexto Abou Abd-allam Mohammedem ibn Omar Rayensem; quibus omnibus Deus bene vertat.

Dicunt Fakhr-eddinum Rayensem petivisse Bokharam, et adfuisse consessui Radhieddini Nisaburensis, ex quadringentis praestantissimis viris conflato, veluti Rocn-eddino

Ami-

Amedensi, et Rocn-eddino Thaousita, aliisque vel hujus vel inferioris generis. In isto conventu disputavit, nec quisquam affuit, quin unam alteramve quaestionem ipsi proponeret; ad quas omnes respondit. Postquam vero dixisset: Quodsi minus vera dixeris, poenitentia ductus his te monitis submitte! subjecit Radhi-eddin: Aliquid respondere nihil attinet. Hoc enim efficiet ut magis etiam quam antea ejus dexteritatem, respondendi promptitudinem et dicendi ornatum vulgus admiretur. Narrant eum, antequam celebre nomen assecutus esset, cum legato in Khowarezmiam profectum esse; hujusque regionis incolas legato dixisse: Audivimus tecum virum praestantem venisse, et aliquam ex eo admonitionem audire cupimus. Versabantur tum forte in templo, die veneris, post peractas precationes. Legatus ergo rem cum Fakhr-eddino communicavit, qui, Faciam, inquit, ea conditione, ut in disputatione ultra necessarias conclusiones ne evagentur. Quam conditionem cum amplexi essent, quanam igitur de scientia se audire vellent interroganti, de Theologia Scholastica disputandum esse responderunt; hanc enim apud illos frequenter tractari. Quam itaque quaestionem vultis? inquit. Tum illi argumentum legale elegerunt, quod brevi temporis spatio disputando sic confirmavit, ut qui ex plebe Khowarezmia magno ibi numero aderant, omnes disputationis scholasticae periti, Fakhr-eddinum invictas probationes attulisse, ipsosque omnes superasse faterentur. Voluit autem Imamus, concionis moderator, reliqua novo consessui, cui ipse Princeps esset interfuturus, servari. Ergo tempus duci, jam multa bonae frugis plenissima prolata esse, diem omnia non capere, orationem alia occasione coram Principe continuari posse dixit. Tum vero Fakhr-eddinus, o Khowarezmita! inquit, certe dominus noster ex eo consessu non surget, nisi infidelis aut improbus. Nam scientia ista, argumentis nixa, dubio obnoxia non est; cui si fidem non adhibeat, opinionis infidelitate peccabit; quod si crediderit, et inter bonum malumque tamen non distinxerit, opinionis improbitate labetur. Referunt etiam illum, postquam Bokharam venisset, audivisse a cive quodam hujus urbis dubitationes proferri solere adversus responsa consultationesque Abou Alii. Cum autem Bokharam venisset Fakhr-eddinus, injunxerat (*homo iste*) sociis suis, ne id Fakhr-eddino manifestarent. Is, re cognita, cuidam ex illius viri amicis dixit, unam dumtaxat noctem huic rei ediscendae se traditurum: quod et fecit, omniaque responsa tantillo temporis spatio memoria complexus, primo mane hominem adiit, ipsique dixit: Audio te maximo doctrinae Abou Alii in dubium revocandae studio teneri. Illius autem doctrinae ratio et significatio haec est. Hanc qua de caussa dubitationibus oppugnas? Tum alter: Credo te esse Fakhr-eddinam Rayensem; cui Fakhr-eddinus, Tua te, inquit, opinio non fefellit. Quibus dictis surgens abiit. Dicunt ipsum aliquando habuisse concionem hortatoriam in suggestu Khowarezmiae, (cujus regionis incolae omnes disputationis Schola-

35

 sti-

sticae studiosi sunt in eaque imprimis excellunt), quaestionemque proposuisse, de qua Môtazalitae et Aschâritae dissentiunt. Hanc cum secundum Môtazalitas firmissimis rationibus stabilivisset, ita ut Môtazalitarum Imami negarent Aschâritas tali modo suam posse probare sententiam: Nonne vobis, inquit, haec argumentatio egregia videtur? Quod cum affirmassent; Ergo etiam, inquit, ejus solutionem audite; quo dicto, argumenta sua aliis vehementioribus penitus profligavit. Itaque Môtazalitae jam in eo erant ut sectam suam relinquerent, quoniam istas probationes sequi cogebantur. At ipsorum Doctores quominus id fieret intercesserunt, quippe istum homini mirabilem probandi facultatem, quam a Deo acceperat, minime ad sectam eorum infirmandam contulisse. Narrant eum aliquando suggestum adscendisse et aliquid citasse ex Pentateucho; auditoribus autem interrogantibus quomodo hoc in Pentateucho inveniri sciret: Quem librum, inquit, vultis? Indicate modo, ut vobis memoriter recitem. Interim columba, quam accipiter venari cupiens a tergo insequebatur, Doctorem circumvolitare (?) coepit et post ejus tergum delituit; quod videns quidam praesentium ex tempore cecinit:

O Soleiman hujus aevi! omnem prisci Soleimanis attulisti liberalitatem. Cum mors fulgeret in alis raptoris,

Quis tum columbam certiorem fecit tuum latus sacrum esse, teque fidum timenti esse refugium?

Ibi Doctor poetae vestem suam cidarimque dono dedit. Obiit autem illius festi tempore quod post jejunium celebratur, A. 606 (Chr. 1209—10). Ipsi sit Deus misericors et benignus!

Cognomen etiam ab ea habet Abou Ishak Ibrahim ibn Ahmed al Khawwas, qui 96 fuit unus ex aequalibus Djoneidi et Nouroddini, quibus omnibus Deus sit misericors! Ibrahimus iste adeo divino auxilio confidebat, ut in itineribus suis viaticum secum non ferret. Mansourus ibn Abd-allah Heratensis sequentem narrationem refert. Aliquando (inquit) cum nonnullis in templo legati Dei de prophetarum miraculis confabulati sumus. Erat nobiscum vir caecus, qui ubi sermones nostros ad finem usque audiverat: Exhilaret vos Deus! inquit, nam ego quoque vestris narrationibus exhilaratus sum. Jam vero vos etiam mirandam historiam a me audiatis. Antequam caecus essem, virum quemdam peregrinum vidi Medina egressum, et celeriter currentem; ego autem pone accurrens donec ipsum assecutus essem, dixi: Exue vestes tuas. Tum ille, Abi, inquit, ne malum tibi accidat. Ego vero vehementius hominem retinens ad vestes exuendas adigere conatus sum. At ille me saepius verbis repulit, ego vero a proposito non destiti. Cum ergo intelligeret me nullo modo a se posse repelli, digitum in oculos meos intendit, qui eo ipso caeci facti sunt. Quo facto a me discessit. Eundem proxi-

proxima nocte in somnis vidi et dixi: Quis es? o Serve Dei! per eum te rogo, qui tanti miraculi patrandi facultate te condecoravit, respondit: Sum Ibrahim al Khawwas. Refert Al Khawwas, cui sit misericordia Dei! se venisse apud virum a Satana prostratum, atque ad illius aures formulam recitare coepisse, qua homines ad preces convocari solent; Satanam vero, metu perculsum, ipsi acclamasse: Mitte me ut ipsum occidam; nam Coranum creatum esse statuit. Narrat aliquis se cum duobus aliis quadam nocte in comitatu Khawwasi fuisse. Pervenimus, inquit, ad templum in deserto; in quod quiescendi ergo nosmet recepimus; at erat tempus hyemale, delubrum vero nullam habebat januam. At cum mane surrexissemus, invenimus Ibrahimum ad templi ingressum stantem, illumque corpore suo obtegentem, qui hoc se fecisse dixit pro nobis sollicitum, ne frigus pateremur. Narrat Al Khawwas, cujus Deus misereatur! sibi monachum aliquando itineris socium fuisse, atque ambos per integram hebdomadem una profectos esse, nullo cibo refectos. Tum monachum ipsi dixisse: O Monache Hanefita! si tu quidem es laetus et hilaris, nos sane extrema inedia conficimur. Ibi Khawwas, o Deus! inquit, ne me ignominia afficias apud hunc incredulum. Quibus dictis subito lanx apparuit, in qua erant panis, caro tosta, dactyli recentes et aqua. De quibus cum edissent, atque rursus per aliam hebdomadem iter fecissent, Khawwasus socium allocutus, o Monache Christiane! inquit, certe laetus mihi esse videris. Jam tuae sunt vices. Ergo preces fudit Monachus, et alia lanx apparuit, meae similis, iisdemque fere cibis instructa. Ego tanto miraculo obstupescens ex istis comedere nolui; monachus vero dixit: Comede! nam ego tibi duos nuntios affero: alterum quod testor, nullum esse Deum nisi Deum verum, et Mohammedem ejus esse legatum; alterum, quod dixi: o Domine! si aliqua huic homini apud te sit existimatio, mihi quoque thesauros tuos aperire ne recuses. Dein (*inquit*) hoc rerum eventu laeti profecti sumus Meccam, ubi cum aliquamdiu degisset, obiit et sepultus est in al Bathha. Refert etiam sequentia Ibrahimus. In quodam itinere, quod institueram, veni ad arborem, sub qua vix consederam, cum leo horribilis ad me accessit. Quem, ubi appropinquasset, claudicare vidi, ejusque pedem vulnere esse perforatum. Ille autem dolore rugiens pedem suum in sinu meo deponebat, unde intellexi, illum petere ut eum sanarem. Itaque lignum sumsi quo vulnus aperirem, deinde panno pelliceo (?) vestis meae religavi; quae cum fecissem, abiit: at mox reversus est, secum ducens duos catulos cauda blandientes, libumque a se allatum apud me reliquit et abiit. Deus autem hoc optime novit. Narrat idem Ibrahimus, cujus Deus misereatur: Cum aliquando per mare iter facerem, ventus vehementer spirans, navemque a cursu, quem intendimus, avertens, nos invasit. Nautae ergo omnes et singuli Deum invocare, et vota facere. Ego autem, Si Deus O. M. inquam,

quam, me ex hoc (*periculo*) servaverit, non amplius edam carnem elephantinam. Talia lingua mea proferebat. At ventus nos in insulam projecit, in qua elephantis pullum vidimus, quem nostri captum occiderunt et comedere coeperunt, meque etiam ad edendum incitarunt. Sed ego, propter votum, recusavi; illi omnes carnem pulli elephantini degustarunt. Cum autem nox esset oborta, advenit elephas, qui pullum 37 suum non inveniens, et nostros videns, unumquemque olfacere coepit et ad unum omnes discerpsit, donec occidisset. Ego interim certum exspectans interitum in faciem me projeceram, ne ipsum viderem. Cum vero me quoque olfecisset, corpus meum proboscide circumplicuit, meque dorso suo imposuit, et per totam noctem circumvexit. Primo mane, ubi ad . . . . . . pervenisset, me deposuit et abiit./ Abou Hamed al Aswad se aliquando cum Khawwazo itinera fecisse narrat. Cum ergo (*inquit*) pervenissemus ad arborem umbrosam, leo terribilis ad nos accessit. Ego metuens arborem conscendi, at Ibrahimus infra dormiebat. Sed leo cum a capite ad pedes virum olfecisset, abiit. Dein, nocte adventante, in templum nos recepimus, ubi culicis pungentis dolore ingemuit Ibrahimus. Tum ego: Hoc, inquam, profecto mirandum est; heri nullum dolorem passus a leone hodie ob culicem ingemiscis! At ille: Multum vero differt, inquit, praesens mea conditio ab hesterna; heri cum Deo versabar, hac nocte solus sum. Dicitur Khawwas, cujus Deus misereatur! cum ipsi mors instaret, aquam petivisse, et solennem lotionem peregisse. Obiit autem A. 291 (Chr. 903—4). Vidit (*eum aliquis*) post ejus mortem in somnio, et quid Deus cum eo egisset, interrogavit. At ille respondit: Quidquid feci, id omne improbavit; dein tamen me collocavit in domicilio supra habitationem incolarum paradisi, haec addens: O Ibrahim! hoc domicilium ideo (*tibi conceditur*), quoniam mundus ad nos pervenisti.

Ab hac urbe etiam cognominatur Yahya ibn Maâdz Rayensis, qui fuit Doctor sui temporis, et tam eloquentia in dandis admonitionibus occupata, quam hominum gratia maximopere floruit, donec in familiaritatem venit ornamenti piorum Abou Yezidi Bosthamitae. In cujus rebus vidit quod ipsum plane percelleret, atque intellexit praestantiam in Dei potestate esse, qui eam tribuat cuicunque velit. Hinc ejus ministerio se addixit, mirasque de eo refert historias. Inter alia narrat se vidisse Bayazedum, inde a precatione vesperae usque ad aurorae ortum, insistentem pedum digitis, sublatisque plantis, pectus geminis palmis percutientem, fixis oculis, neque conniventibus; deinde, oriente aurora, Deum per longum tempus prostratum adorasse: tum iterum surrexisse, et dixisse: O Deus! nonnulli a te petunt, tuque ipsis largiris, ut per aërem aquamque incedere possint, idque lubenter a te accipiunt; ego vero haec vitans ad te confugio. Alii vero ex te quaerunt, tuque ipsis largiris, thesauros orbis terrarum, et de illis acce-

ceptis laetantur; ego vero haec spernens ad te confugio. Alii ex te quaerunt, atque tu illis concedis, cito peragrare terram, quare gratias tibi agunt; ego vero haec respuens ad te confugio. Atque ita ultra viginti praecandi modos (?) recitavit, quibus homines pietate insignes utuntur. Deinde ad me respexit, et cum me videret: An Yahya es? inquit. Affirmavi. Tum ille: Quamdiu hic adfuisti? Ego vero: Per breve tempus, inquam. Dein iterum silentem rogavi ut mihi aliquid e traditione narraret. Ille vero: Narrabo, inquit, quod tibi conveniat. Tum sic perrexit: (*Deus*) me induxit in orbem inferiorem, et me circumtulit per regnum inferius terrae, et quidquid infra eam est, ad aquam usque, ostendit. Dein in orbem superiorem transferens, coelos me obire fecit, et conspiciendum mihi praebuit Paradisum, usque ad thronum Divinum. Porro me coram ipso stare et aliquid expetere jussit, quod vidissem, ut ipse mihi daret. At ego respondi: O Domine mi! Nihil vidi quod adeo mihi placeret, ut id a te efflagitarem. Quod Deus audiens: Tu servus, inquit, meus, veri nominis servus es. Ego autem revelabo quasnam tibi dotes certissime sim concessurus. Dein earum complures memoravit. Haec narratio, inquit Yahya, me terrore perculit et [*admiratione*] implevit. Unde dixi: Mi Domine! quidni a Deo interiorem illius cognitionem flagitasti, cum tibi, ipso concedente, quidquid velles, petere liceret? At Doctor, his auditis, mihi vehementer inclamavit, meque tacere jussit. Hanc enim scientiam Deo soli convenire eumque ab alio suam naturam cognosci nolle. Ex singularibus Dei favoribus quibus Yahyam ornavit, etiam hunc fuisse ajunt, quod, cum Balkhae orationem haberet, in qua divitias paupertati praestare contenderet, nummorum triginta millia dono acceperit. Id vero cum audivisset quidam Doctor, rem maximopere miratus: Deus, inquit, his bonis illius non benedixit. (*Quod verum fuit*, *nam*) ubi Balkha egressus est Nisabourum petens, latrones in via adorti, ipsum pecunia spoliarunt. Narravit Yahya se templum intrasse, et in ipsa porta pollutum precibusque ineptum redditum esse. Quod sibi ut peccatum imputavit, donec recordaretur se domo egressum pedem sinistrum (*dextro*) praemisisse. Ergo idem, inquit, nulla plane ratione postea faciam. At haec cogitanti in aures quasi insusurratum est: O Yahya! Tu perversam disciplinam sequeris speciosas excusationes praetexens. Nos autem tibi excellentiam peccatorumque veniam concessimus. Caeterum obiit A. 258 (Chr. 871 — 2).

38

Zendjan urbs est celebris in Regione Montana, inter Abhar et Khalkhal, ad viam publicam, quae in Asiam Minorem, Khorasanam, Syriam et Iracam ducit. Circa hanc urbem latrones perpetuo versari et insidias struere solent. Ipsum vero oppidum summis fruitur bonis, ejusque incolae sunt pulcerrimi hominum forma, ingenio, et vestium

quotidianarum elegantia. In montibus vicinis sunt fodinae ferri, quod in (*alias*) regiones etiam defertur. Hinc quando apud eos annonae inopia incidit, non vendunt panem nisi cum ferro; et quicunque panem emere instituit, clavorum ferreorum pretium simul solvere cogitur. Narrant aliquando huc accessisse mercatorum catervam, qui, die jam advesperascente, (*metu latronum*) de communi consilio ibi minime pernoctandum esse statuerunt, sed ulterius proficiscendum, ut proximo mane procul ab istis locis abessent. Ergo urbem intrarunt ut aliquantum panis emerent, quem apud unum tantum pistorem invenerunt, stratum in officina habentem, atque dicere solitum: Panem una cum strato vendere decrevi. Quicumque tamen utriusque pretium afferat, illi panem sumere, stratum vero relinquere, integrum erit. Ad extremum vir quidam ingeniosus, a quo pistor pretium strati exegerat: Quin strato magis, inquit, quam pane mihi opus est, ejusque pretium dabo. Dein illud a pistore emtum combussit. — Virum quemdam valde procerum, qui emere melonem vellet, per contumelias objecisse ferunt venditori, melonem exiguum esse. Venditorem autem reposuisse: Melo parvus non est, sed ex loco unde tu despicis, vel camelus passer tibi esse videatur. — Dicunt aliquem mediae conditionis virum per patrem suum jurasse, atque eorum qui aderant unum, an patrem habuisset, rogasse. Cum autem alter respondisset: Adeone quisquam est, qui patrem non habeat? regessisse alterum: non fuit (*tibi*) pater, quem in consessu commemorare fas sit. Ad Zendjanis miracula etiam hoc pertinet, quod Abou'l Rihan Khowarezmius refert, ab Abou'l Faradjo Zendjanita acceptum, scilicet Zendjane scorpiones non conspici nisi in loco Makbarat al Thayr dicto; unde si auferantur, in eundem tamen locum quantocyus redeant; quae animalium noxiorum absentia soli istius bonitati aërisque lenitati unice adscribenda est. Ibi etiam est mons Bazaw, quem inter loca amoenissima et optima referunt, quoniam nullus terrarum tractus hunc, sive aëris lenissima temperie, sive aquae dulcedine, sive odorum fragrantia, superat. Herbae aromaticae per plures parasangas longe lateque solum tegunt, odores suos e longinquo spargentes; quin verno tempore terrae superficies diversis florum coloribus vestem sericeam variegatam imitatur.

Ab hac urbe cognomen habet Djelal-eddin Medicus. Erat vir quantivis pretii, neminemque sibi per universum orbem terrarum parem habebat. Hunc inter ministros habuit Uzbecus ibn Mohammed ibn Ildeguz Princeps Adzerbeydjanae et Arranae, nec umquam a latere dimisit; nam in hoc viro vitae suae praesidium situm esse affirmabat. In morbis curandis miraculi instar habitus est; nam aegrotos non adibat, sed absens de singulorum morbis inquirere, tum aliquod vile remedium praescribere solebat, unde

na-

sanitas brevi insecuta est. Illius misereatur Deus! nam dum vixit, magnam utilitatem hominibus praestitit, nec inter posteros quisquam cum eo comparari potest.

Sawah urbs est egregia, bonis, fructibus, aqua arboribusque felix et in valle sita. Antiquis temporibus ad lacus ripam jacebat, qui circa nativitatem prophetae Dei subsedit. Vidi locum ubi quondam lacus fuerat, quem nunc hordeo conserunt; et narravit mihi seniorum Sawensium aliquis, se quondam navem in eo vela facientem vidisse. Incolis hujus urbis propria sunt faciei pulcritudo, indolis probitas, mensurae poeticae scientia canendique peritia, ad quam a teneris ita formati sunt, ut ipsorum etiam uxores et liberi in ea excellant. Omnes autem sectam Schafei sequuntur, et si advenas excipias, nemo ab ea dissentit. Sunt ibi xenodochia, gymnasia et nosocomia. Ad portam templi fornix est altissimus, fornici Chosroïs aequiparandus. Ab utroque ejus latere singulae stant turres ad summam altitudinem surgentes, quibus similes nusquam terrarum inveniuntur. In medio templo est librorum collectio celebris, nec non astrolabiorum et sphaerarum. Inter ejus miracula etiam hoc refertur, quod manna anno quovis trigesimo in quoddam spinarum genus, cui illa propria sit, decidat, idque tanta copia, ut colligatur et publice distrahatur. Ego ipse hoc semel vidi.

39

Ab ea cognominatur Al Kadhi Omar ibn Sahlan, cujus Deus misereatur. Fuit hic vir literatus, Jurisconsultus et sapiens, cui Deus indolis elegantiam, ingenii acumen, orationis perspicuitatem et eloquentiae miraculum largitus est. Omnes ejus libri boni sunt. Fuit aequalis Imami Hodjiat al Islam al Gazalii. Illos ambos Deus misericordia sua et benevolentia prosequatur! Inter miranda specimina favoris divini, quae de eo referuntur, hoc est, quod ipse sic narrat. Cum disciplinis operam dare cuperem, nullas opes habebam, nullumque eo adhuc tempore conditum erat collegium. (Magnâ autem scribendi elegantiâ excellebat.) Descripsi igitur tria exemplaria libri de Medicina Abou Alii ibn Sina, cujus operis illa aetate inter medicos plurima distrahebantur exempla. Ergo unumquodque exemplar vendidi centum (*aureis*), et trecentorum aureorum summam, inde conquisitam, deposui apud quendam mercatorem pannarium, amicum meum. Quotiescunque autem opus erat, ex iis aliquid repetii, quod expenderem, donec me opinio invasit, me omnes erogasse; quamobrem a quaerendo destiti. At cum vir iste me vidisset: Quid est, inquit, quod te a pecunia repetenda abstinere videam? Tum ego: Quoniam omnem erogavi. At ille: Minime, inquit, major enim pars adhuc restat. Igitur altera vice eum adii, sed iterum abstinui, postquam comperissem me plus pecuniae expendisse, quam haberem. Iste vero, cum rursus me videret: Quaenam, inquit, causa est, cur (*a pecunia quaerenda*) abstineas? Ego autem: Deus te, inquam,

quam, meâ causâ remuneret! jam plus erogavi, quam possideo. At alter: Ne desinas, etenim multa adhuc supersunt. Tum altera vice pudibundus hominem adii, verumtamen mox plane abstinendum esse decrevi. Cum autem rursus me iste conspexisset, atque rogasset ne desisterem, ego negavi. Ergo mihi rem persuaderi posse desperans protraxit e manica trecentos aureos, dixitque: Haec opum tuarum summa est, qua nummos lucratus es, quos accepisti. Nam hac pecunia tibi mercaturam exercui. Deo summo sit laus, qui me nonnullis tanti viri necessitatibus subvenire cupientem adjuverit.

Oriundus est etiam ex eadem urbe Al Kadhi Addat, concionator ingeniosus, et dulci eloquentiae flumine praeditus, cujus fortunas reges auxerunt (?). Narrant eum Hamadane pro concione orationem monitoriam habuisse, et in ea omnem naturae divinae cum humana comparationem repudiasse. At homines de vulgo (*hac de causa vehementer iratos*), cum propter magnam ejus apud Principem gratiam (*publice*) sordibus hominem conspurcare non auderent, (*clam*) literis missis, ipsum ejusque familiam et liberos contumeliis affecisse. Ille autem: Hi quidem, inquit, hoc vel illo modo adversus me scripserunt: fieri sane potest ut verum sit, quod dixerunt; vel sic tamen Deum (*hominis instar*) in throno sedere absurdum esse affirmo. Regem quemdam ajunt legatum quaesivisse, quem ad alium principem mitteret, ipsique Kadhium Addatum commendatum fuisse. Hunc enim praestantem esse affirmabant, at simul tamen monebant eum legationem pe-
40 cuniae lucrandae gratia obiturum (?). Quibus auditis, Rex: Ergo, inquit, jurejurando hominem adigite ut nihil expetat. Quod cum fecissent, illumque ablegassent, ille quidem digressus aliquot dies aegre vitam toleravit, cum a nemine aliquid acciperet, nisi ab eo ad quem missus esset. Ergo advocata concione: Qui me misit, inquit, o Viri! jurejurando me obstrinxit ne ab aliquo quidquam expeterem. At vero quis tandem vos juramento prohibuit quominus ad me aliquid mitteretis? Atque ejusmodi narrationes admirabiles de eo feruntur plurimae: sed haec sufficiat.

Ab eadem urbe cognomen habet Tadj-eddin Mohammed al Waëdh, vulgo dictus Sayhawaih (?). Fuit concionator hortatorius, JCtus suavis eloquentiae, mellifluaeque linguae, et omnium ordinum hominibus gratissimus. Monitiones pro varia hominum conditione varias instituebat. Sic ubi rex praesens aderat, tum: O Rex! inquit, quid tandem de eo principe existimandum censes, quem elegit Dominus ejus, suae erga ipsum benivolentiae gratia, in cujus caput varias bonorum species effunderet; cujus arbitrio res regionum permitteret; cui denique habenas, quibus servi reguntur, in manus traderet. Verum enimvero servus iste regiones suas vastavit, populosque per injustitiam domuit, Dominique sui mandatis se opposuit et rebellavit, et extra aequitatis limites evagatus, inju-

justitiam exercuit. Nonne ejusmodi servus dignus est, qui a Domino suo gravissimis poenis vehementissimoque cruciatu afficiatur? Atqui, (*inquit*) tu iste servus es, o Rex! nam Deus te e servis (*suis*) elegit, et in tuas manus regionum negotia tradidit, te ex aequo et bono agere jussit, tibique injustitiam et tyrannidem interdixit. At nihilominus dies tui in bonis diripiendis et fundendo sanguine occupantur, noctesque tuae in improbitate et adulteriis. Quid autem te sustinere poterit tale praemium a Deo meritum? Adversus virum doctum sic disputare solebat. Si ad te, Vir eruditissime! quisquam accedit, qui tuam de aliquo religionis placito roget sententiam, semper ex aequo respondes in sacris legibus nihil esse, quod rogantis obstet voluntati, et non chartae, cujus te jam taedet, sed vestis Mausalensis desiderio teneris. (Quae reprehendendi ratio haud differt ab ea quam al Saidalani, al Kerabisi et al Istakhari secuti sunt). Suficae vero sectae monachum sic reprehendebat. Heus tu Doctor! Ubi ad convivium invitatus es, cameli instar omnia voras, etiamsi lege sint prohibita, et paropsidis gratia filium uxoremque convivatoris martyres occubuisse affirmas, et abstinentiam post januae tapetum relinquis. Haec adeo sunt ex egregiis Suficorum moribus, qui profecto non ita abstinentiam perpetuum suarum monitionum argumentum sumere debebant, ut eam in conviviis post tapetum abjicerent. Dein idem Monachus postridie ad hospitem redit, pauperem post tapetum pannos suos per oblivionem reliquisse jactans, ut homines certiores faciat se scilicet insignem illum temperantiae magistrum esse, et simul ut qui ipso indigeant, iterum invitent. Hac ratione varios variarum conditionum homines reprehendere solebat.

Ab hac urbe etiam complures alii cognominantur, qui omnes aequales suos longe superarunt, in his Emad al Molk, Vezirus Sultani Khowarezmschah. Fuit Vezirus iste consilio et scientia ornatissimus, perfecta religionis corona, vir eruditus, varia instructus doctrina, ad controversias maxime Theologicas, fundamenta religionis et sectarum orthodoxarum cognitionem spectante. Ex ea etiam oriundus est al Meskoui Medicus, artis suae peritissimus, unicum temporis sui ornamentum, salus (*aegrorum*) qui ipsius curae commissi erant. Caeterum discipulorum institutionem cum praxi conjungebat, unde ipsi tribuuntur dicta nonnulla, quae hujus artis cultores admirati sunt. In ea etiam natus est Ratak luctator, qui varias regiones peragravit, et omnes, quos inveniebat, luctatores pugna superavit, at ipse numquam victus est. Denique eadem ortus est Safi-eddin Kawal Al Schethrendji, qui primae classis lusoribus in ludo Schachico equum remittebat.

Inter civium consuetudines haec fuit, nunc ipsis interdicta. Tempore vernali plebs quovis die Veneris post peractam precationem ex duobus vicis (*adversis*) prodibat. Erant in quovis agmine ducenti vel trecenti circiter juvenes, qui nudi et in duas divisi aci-

 es

es vehementes mutuosque colaphos sibi impingebant, neque hoc facere desinebant, donec una alterave turba in fugam verteretur.

Sahraward oppidum est in Regione Montana prope Zendjan. Ab eo cognominatur Abou'l Fotouh Mohammed ibn Yahya, vulgo dictus Schehab-eddin, vir sapiens, eruditus, rerum mundanarum negligens, facinorum admiratione dignorum et insolitorum auctor, 41 religiosis exercitiis devotus hominumque consortium fugiens. Refert quidam Jurisconsultus Kazwinensis sequentia. Aliquando, inquit, tempore hyberno in quodam regionis Rumaeae coenobio diversatus, vocem audivi Coranum legentis. Ergo coenobii ministrum, quis iste lector esset, interrogavi. Hic Schehab-eddinum Sahrawarditam esse dixit. Tum ego: Diu est, inquam, quod ipsum legentem audio, hominemque jam praesentem conspicere cupio, quamobrem me ad eum deducendum cures. At minister quemquam ad ipsum intromitti posse negavit, caeterum sole orto hominem exire, in domus tectum adscendere, et in sole apricari, illiusque conspiciendi tum occasionem fore. Ergo consedi in latere scamni discubitorii, donec exiret. Tum illum vidi indutum panno nigro, caputque cidari ejusdem generis obvolutum. Deinde surgens illum salutavi et, cum me illius invisendi causa venisse significassem, rogavi ut aliquamdiu mecum ad latus scamni consideret. Tum ille petitioni meae annuens consedit: ego vero cum ipso, dum in alio quasi mundo versabatur, confabulatus, inter alia monui ut aliam vestem indueret. Quod ille abnuens eam inquinatum iri causatus est. Eam tamen lavari posse observavi. At ille: Vel sic tamen iterum inquinabitur. Ergo iterum lavetur, inquam. Tum se suas vestes lavare nolle et longe aliis occupationibus se districtum teneri dixit. Fuit aequalis Fakhr-eddino Rayensi cum eoque disputavit. At Fakhr-eddinus, post illius necem, librum ejus Talwihaat (*sive Demonstrationes*) inscriptum, in somnis conspicere et accipere sibi visus est. Eumdem aliquando cum multis aliis ad ripam piscinae consedisse, et cum de prophetarum miraculis sermo esset, aliquem dixisse ferunt: maris divisionem caeteris mirabiliorem esse. Schehabum vero regessisse: Hoc inter prophetarum miracula referri non meretur. Dein, eo manum extendente, piscinae aquam bifariam fuisse divisam, ita ut ejus fundum viderent. Cum Halebi comprehensus et in quadam domo vinctus custodiretur, in illius aedificii trabe, quo sine scalorum ope perveniri non poterat, haec scripta apparuisse famā est: Domus improbi vastatur, etiamsi aliquamdiu permanserit. (*Quas minas eventus confirmavit*). Nam brevi post imperium e familia Al Maleci Al Dhaheri defecit, et domus universa deleta est.

Schah Diz arx fuit munita in cacumine montis haud procul Ispahane siti, quam condidit Sultanus Malec-Schah ibn Alp Arslan A. 500 (Chr. 1106—7) Causa condendi castelli haec fuit. Quidam Patricius Graecus venit ad Sultanum, et cum Islamismo nomen dedisset,

ad

ad Principis interiorem familiaritatem admissus est. Quem cum aliquando in venatione comitaretur, ab iis aufugit atque istum montem adscendit canis venando egregius. Hunc insecuti sunt Sultanus et Patricius, qui Sultano dixit: Si nostris in terris mons esset huic similis, in eo conderemus castellum, quod nobis emolumento foret. Ergo Sultanus ibidem loci arcem exstrui jussit; nec renitentis Nadhami al Molk ullam rationem habuit. Itaque arcem aedificarunt munitissimam, nullaque vi expugnandam; quo munimento Rex vehementer laetatus, arci custodem imposuit quemdam Emirum ex suis ministris spectabilem. Erat tum temporis Ibn Athasch Ahmed ibn Abd-ol Malek Doctor unus ex Daïs (*sive invitatoribus*) sectae Batheniticae, quem Emirus, ubicumque illius consuetudine frui vellet, in arcem secum ducere solebat. In qua ubi firmum gradum posuerat, invitavit populum ad doctrinam Batheniticam. Hi primum morem gesserunt, dein misit, qui Ispahanenses eodem perducerent, quorum multi similiter annuerunt. Quod cum cognovisset Nadham al Molk, Sultano dixit: Cum te ab arce condenda avocarem, consilium rejecisti; nunc vero impios persequi jubeo, quod nisi feceris, ingens hinc pernicies orietur, quae averti non poterit. Sultanus igitur arcem aggressus, post septem annorum obsidionem cepit, et Ibn Athaschum in deditionem venire coëgit. Erat hic vir astrologiae peritus. Quem camelo vectum cum ad Ispahan deducerent, universa civium multitudo in occursum ejus egressa cum tympanis, lituis, adufis et ludicro apparatu, coram eo saltabat. Plebs hominem fimo camelino aliisque sordibus conspurcavit, cumque ipsi dicerent: Hoc profecto in horoscopo tuo non vidisti: At vidi, inquit, in horoscopo me in altum sublatum iri, nec tamen illud ita futurum noveram. Dein 42 Ispahane cruci affixus est: malisque ab eo ortis hic finis fuit. Nam cum Sultano dictum esset, de arce, quam indicasset canis, cujus condendae consilium dedisset incredulus, quamque tenuisset impius, nil boni sperandum esse; illam Princeps delendam decrevit.

Schakambeh oppidum est in tractu Dainawendis, abundans arvis, hortis, fructibus, et uvis. Est inter locos illius regionis frigidissimus. Apud incolas Djordjanae et Tharistanae proverbium vulgo fertur, a turbato vultu et tristi indole judicis illius urbis petitum. Nam si aliquem videant, qui moestam faciem ostendat, hunc Kadhio Schakambae similem esse dicunt. Dixit quidam poëta:

Vidi caput moestum barbamque afflicti, et dixi: Quis miser iste? Responderunt: Judex Schakambae.

Schahrazour, tractus amplus in Regione Montana, inter Irbil et Hamadan, vicis oppidisque frequens, a Curdis incolitur vias infestantibus, quorum, uti refert Mesaâr ibn Mohalhal, sexagies mille familias ista regio alit. Idem testatur ejus caput esse Dizdan,

eam-

eamque urbem muro cinctam esse altissimo tantaeque latitudinis, ut equi supra eum possint incedere. Hujus regionis Princeps Sultanis morem gerere recusat. Hunc aliquando se vidisse dicit in turri sedentem altissima et portae superimposita, ex qua per multarum parasangarum spatium prospici potest. Manu tenebat ensem evaginatum, quem, si alicunde hostilem equitatum procul advenientem cernit, vibrare solet. Quo signo dato greges bovesque aratorii omnes in urbem compelluntur, quippe quam munitam esse ajunt, et oppugnantibus inaccessam, faustisque Davidis et Salomonis, q. d. b. v., comprecationibus ornatam.

Hinc oriundus fuit Saulus, quem a Deo Summo regem sibi missum Israëlitae (*repudiarunt*) dicentes: An iste nobis imperabit? cum nos imperio digniores simus. Quin etiam urbis Principes ad hunc usque diem se ex Saulo prognatos esse jactant. Caeterum hujus loci incolae hoc etiam peculiare habent, quod raro lippitudine oculorum et variolis afficiuntur. Hucusque verba Mesaâri.

Ibi etiam mons est a quo cognominatur bacca quaedam subnigra, Zelm appellata, quae medicamentis venereis inservit. In hoc monte est species vitis, quae altero anno uvas profert, altero fructum pastinacae similem, valde rubrum, sed nigro petiolo, quem Wadâ vocant. Sunt ibidem quoque scorpii letiferi, veneni atrocitate ipsos Nisibenos scorpios superantes.

Thalekan tractus, est vicos continens in Kouhestana, inter Kazwin et Djilan, in montibus Dailomiticis. Hi olivae et malorum punicorum sunt feracissimi, quorum fructuum magna pars ad Kazwin defertur.

A Thalekane cognominatur Abou'l Khair Ahmed ibn Ismail, vulgo Radhi-eddin dictus, vir sapiens, praestans, pius et miraculorum auctor. Ajunt eum ab initio jurisprudentiae operam dedisse, ejusque magistrum ipsum literas docuisse, et saepius eadem repetivisse, ut memoriae mandaret. Quod cum ille facere non posset, Doctor hominis stoliditatem pertaesus, eum deseruit, quae res Ahmedem vehementer afflixit. Mox vero magister vidit in somnis legatum Dei, c. d. b. v., ipsum, quare Ahmedem vexaret, interrogantem. Ergo expergefactus (ut ipse narravit), adesdum, o Radhi-eddin! (*inquit*) ut te erudiam. Tum alter respondit: Imo per intercessionem prophetae me docere pergas! Ab eo inde tempore Deus intellectus januam ipsi aperuit, ita ut coryphaeus temporis sui doctrina et abstinentia factus sit. Aliquamdiu docuit Bagdadi in Gymnasio Nadhamitico, ubi, cum ad Kazwin reverti vellet, ipsum detinuerunt. Itaque impetrata peregrinationis sacrae instituendae facultate, per Syriam ad Kazwin rediit. Ubi tanto omnium favore exceptus est, quantum, aut ante illius aetatem, aut postea, expertus est alius nemo. Qua die orationem sacram habiturus erat, homines, illucescente aurora,

con-

convenerunt, ut locum sibi compararent, divitesque sedem a pauperibus, qui priores venerant, emerunt, et quidquid ab eo audiverant, id non minus ad posteros propagarunt, quam socii olim traditiones, ex ore prophetae c. d. b. v. acceptas. Ferunt Doctorem vehementer Schiitis infestum fuisse. Stabat autem ante domus januam arbor 43 magna, densis implicita ramis, in quam quodam die virum enixum esse viderunt. Hunc, qui ex Schiitarum vico venerat, laedendi causa huc accessisse clamantes fugère coëgerunt; at Doctor: Post haec non amplius, inquit, hic subsistere possum. Urbe vero egressum omnes incolae, una cum rege, comitati sunt. Ipse tamen se reversurum negavit, nisi princeps cauterio, cui nomina Abou Becri et Omari insculpta essent, frontes ureret omnium antecessorum sectae Schiiticae, quos ipse designasset. Qua re comprobata et peracta, isti cidaribus in oculos protractis in publicum prodire solebant, ne homines ferri notam agnoscerent. Narrat Doctor Azz-eddinus Mohammed ibn Abd-orrahman Wazanita, c. d. b. v., praecipuis Doctoribus Kazwinis annumeratus, in consessu habito primo mane diei Veneris, duodecimi mensis Moharremi A. 590 (Chr. 1193—4) explicuisse nostrum verba Dei O. M.: „Diem timete, quo ad Deum reversuri estis," addens prophetam, cui Deus sit propitius et benignus! non nisi septem dies huic versiculo edito supervixisse. Quibus verbis tecte suam ipse mortem annuntiavit; nam febricitans domum reversus est, nec ultra diem septimum superstes fuit. Octavo autem funus elatum est. Quod cum ad vallem sepulcro vicinam pervenisset, ostendit Deus Summus, qua erat in eum bonitate et misericordia, signa manifesta et miracula perspicua, ignibus micantibus, flammisque geminato splendore fulgentibus, miro in coelis spectaculo. Nempe (ut rem ipsius Azz-eddini verbis referam) numeravi, inquit, ignes huc illuc diffusos, monumentaque splendentia in septem diversis coeli locis observavi. Circumfusa multitudo interim attonita erat animis et conturbata: madebant lacrymis oculi, mentesque timebant, clamoresque audiebantur. Hi Deum adorabant supplices, aliis genas pulvere foedantibus: nec qui commotus erat ad quietem, nec quietus ad motum redire poterat, donec in sepulcrali crypta erat depositus. Tum subito coelum ad solitam conditionem rediit et aër formam suam recepit. Quam mirabile vero documentum hoc est benignitatis divinae erga eruditos studiososque pietatis! Quos inter nostrum misericordia et favore Deus prosequatur!

Thark urbs est Ispahani vicina, cujus incolae utensilium elegantissimorum ex ebore et ebeno peritissimi sunt opifices; ita ut haec inde ad alias regiones deferantur. In singulis est tanta operis pulcritudo, ut eam aliarum regionum artifices aequare minime possint.

Ab ea cognominatur Tadj-eddin Tharkita, vir literatus, et poeta ingenio praestantis

simus. Multa admiratione digna de eo referuntur, carminaque illius citantur, elegantiae laude ipsis genuinorum Arabum poëmatibus haud inferiora. Aliquando Khalifae Nasero ledinillah haec duo illius disticha oblata sunt:

Cum me reprehensores vident, ubi modulantur columbae animi, a spiritus anhelitu excitatae,

Insanientem me appellant, meque catenis constringi jubent, atque instar furentis fascinis muniri volunt.

Admiratus est hos (*versus Khalifa*) dixitque: Nesciebam alicujus in Perside nati sermonem ad illud fastigium pervenisse. Itaque misit ipsi vestem honorariam nigram. Quae cum derepente et praeter opinionem ad eum venisset, in ipsa veste, quam induerat, longum carmen in laudem Khalifae composuit, et Bagdadum misit. Ejus initium hoc est:

Liberalium et fortium virorum conciliabula alacria sunt in laudibus domini nostri Abou'l Abbasi memorandis.

Narrant eum profectum esse ad oppidum Hamadan, ubi tum degebat filius Judicis et Principis Kazwinis; qui cum audivisset Tadj-oddinum Tharkitam advenisse, illum invisere voluit ob praestantiam celebratissimum. Quem cum ad Bibliothecam publicam perrexisse intelligeret, eodem et ipse abiit, hominemque legendo operam dantem reperiit. Salute data redditaque, neque in legendo turbatus est, neque ad ipsum respexit. Erat autem vir forma spectabilis, famulitio, servis mancipiisque pollens, quibus tamen rebus minime a legendo se abstrahi passus est Tadj-oddinus. Quod aegre ferens alter animoque vexatus, Tadj-oddinum rogavit an se cognosceret. Quod cum alter negasset: Sum, inquit, unus ex principibus viris Kazwinis, jubendi et vetandi arbiter, cui est membra amputandi et in crucem agendi potestas. At (*Tadj-oddin*): Nonne, inquit, urbi tuae est praetor? Ita, respondit juvenis. Quidni igitur, inquit (*Tadj-oddin*) te in crucem agit? Tum surrexit homo et (*secum*) dixit: Meliora a respondente audivisti quam putaveras. — Aliquando, ut referunt, solus in domo fuit; sub noctis vero initium fures adesse clamavit. Quo cum vicini congregati essent, januas et pessulos immotos, domumque integram invenerunt, quamobrem, ubi tandem fur esset, quaesiverunt. At ille: Equidem, inquit, audivi fures, quando domos subeunt, pannorum lacinias pedibus subligare, ne irrepentes audiantur. Ego vero subito expergefactus cum neminem abeuntem audirem, fieri posse censui, ut fur pannis subligatis ad me venisset. Alii similes de eo narrationes feruntur. Sit ipsi misericors Deus!

Thorouz vicus magnus Kazwinensis, opulentissimus, aqua, arboribus, hortis fructibusque abundans, quem, propter pulcritudinem et amoenitatem, Turcae barbari, servi Sultanorum, habitandum elegerunt. Ibi palatia condiderunt, et continuata gene-

ra-

rationum serie numerosi facti sunt. Quicumque huc accedit obstupescit, bonorum, fructuum frugumque abundantia, domorum elegantia, aëris salubritate, incolarum pulcritudine, formaque venusta et vultu decoro eorum, qui e Turcica gente prognati sunt. Hinc quisquis pagum hunc intrat, minime cupit ex eo discedere. Res autem in hoc statu mansit usque ad invasionem Tatarorum.

Tharzak pagus Kazwinensis celeber. Narrant virum quemdam fide dignum in somnio vidisse in proelio Tharzakensi occubuisse quemdam e Mohammedis sociis; cum tamen nullum iis in locis esset sepulcrum, et nemo ea de re quidquam cognosceret. At vero cum terram aperuissent, virum invenerunt procerae staturae, lorica indutum, et sanguinem ex vulneribus fundentem. Ergo fanum tumulo superstruxerunt, et inter homines divulgatum fuit, preces in eo effusas, acceptas esse. Quo factum ut assidue frequentaretur et undequaque homines illuc confluerent. Narravit mihi pater meus, cui sit misericordia Dei! se illud visitandi gratiâ adiisse, et jumento servoque custode relicto, templum, per quod ad ipsum tumulum est aditus, precandi causa ingressum esse. Ibi, (*inquit*), stratum, in quo preces fieri solent, ad Mehrabum (*sive Keblae locum*) expanderam. Mox caput meum ab adorando attollens, vidi in strato meo magnum malum aurantium recens, ac si modo ab arbore sua decerptum foret. Ejusmodi tamen arbores nec in terra Kazwinensi, nec in tractu circumjacenti crescunt, sed mala illa ex Rayâ eo deferuntur. Erat praeterea tempus aestivum, quo nusquam omnino terrarum mala aurantia inveniuntur. Postquam autem, inquit, visitationem sacram absolvissem, exii, servumque rogavi, an quis templum intrasset, aut illo exiisset. Utrumque negavit. Itaque mirabundus malum aurantium mecum tuli, donec ad meum praedium perveni. Erat autem Thorouz in via mea, ubi malum aurantium, quod adhuc mecum ferebam, fratri spectandum obtuli aliisque compluribus, qui ibi aderant, omnesque rem mirabantur. Ego interim illud cum reliquis impedimentis (*in servi custodia*) relinquens, ad negotium aliquod necessarium perficiendum paulisper discessi. Reversus cum malum non invenirem, servum interrogavi, qui se nescire professus est, quid de eo factum esset. Multo interjecto tempore, in quodam itinere solitario, ex inopinato senex quidam procerae staturae, barbaque promissa praeditus occurrit, qui mihi inclamavit: O Mohammed! quid ex illo malo aurantio fecisti? Ego autem ad illum accurri, ut benedictionem illius expeterem, cum subito e conspectu evanuit, nec, quorsum abiisset, compertum habui. Sit ipsi misericors Deus!

Abd-allah Abadz pagus inter Kazwin et Hamadan. In eo est fons calidus mirae indolis, qualis nusquam alibi reperitur. Hinc aqua vehementi aestu per orgyiae spatium et amplius prorumpit. Quodsi ovum aquae scaturientis jactibus imponitur, aquae 45

 il-

illud irrigantis calore coquitur. Haec aqua in piscinam colligitur, quique aliquo corporis vitio affecti sunt, eo tendentes, calida lavantur et manifestum ex ea emolumentum percipiunt.

Kaschan urbs est inter Kom et Ispahan sita, cujus incolae sunt Schiitae, et Imamicorum partibus addicti. Ahmed ibn Ali ibn Babah (?) Kaschanensis librum composuit, in quo Schiitarum classes memoravit, et perveniens ad Imamicos, de secta Al Monthathar dictâ sequentia retulit. Inter mirabilia, inquit, etiam hoc censendum, quod in nostris regionibus gens aliqua (cujus vivendi morem ego ipse praesens cognovi) singulis diebus, sole oriente, Imami principis sui adventum praestolatur. Neque intra hoc subsistunt, sed equis conscensis, gladiis cincti et armis instructi, domibus suis et urbe egrediuntur, Imamum excepturi, quasi ad ipsos accessisset tabellarius, qui eum mox affuturum diceret. Adulto jam die, tristes redeunt, neque illa iterum vice venisse querentes. In hac urbe fiunt utensilia artificiosa et subtilia, in quibus fabricandis incolae adeo versati sunt, ut omnium aliarum regionum opifices superent. Quo fit ut Kaschane in varias terras, cum alia supellex, tum vasa deferantur. Sunt ibi etiam mala Armenica praestantia, quorum quae rugosa sunt, desiccata, dono in alias regiones mittuntur, quoniam nusquam nisi hoc loco crescunt. In hac urbe etiam sola genus quoddam scorpionum nigrorum, magnorum et detestabilium reperitur.

Kazwin urbs magna, celebris et incolis frequens, in planitie sita, bonum habet solum, amplam ditionem, multos hortos et arbores, et regionis agrique circumjacentis amoenitate excellit. Quin etiam ipsa substructionis forma alia oppida vincit. Nempe constat duabus urbibus, quarum altera alterâ cingitur. Urbs minor vocatur Schahrestan, habetque murum et portas, quibus etiam urbs major, alteram cingens, instructa est. Vineae hortique urbem majorem undequaque circumdant. Quin et ista rursus omni parte agris clauduntur. Urbs duobus fluviis rigatur, quorum alter Darkh, alter Atrak vocatur. Est autem urbis effigies ejusmodi.

Refert Ibn Al Fakih primum Kazwinis conditorem fuisse Schabourum Dzou'l Aktaf, cujus substructio nunc vocatur Schahrestan. Postea, quo tempore Al Raschidus per Regionem Montanam transiit Khorasanam petens, eum adorti Kazwinenses, de molestia, quam a Dailomitis patiebantur, certiorem fecerunt. Itaque Kazwin profectus est, et murum urbis majoris, nec non templum condidit A. 254 (Chr 868). Qui primus ex Moslemis urbem occupavit, fuit Al Barra ibn Adzib Ansarita. Cum vero, Raschido inter illos versante, tumultus (*ex invasione hostium*) ortus esset, et Khalifa

ci-

cives loricas induere, arma sumere, et celeriter in hostes excurrere videret, tantam dolens sortis iniquitatem, murum istum exstruxit, annuumque tributum minuens, illud in posterum decem millium aureorum esse voluit. De Kazwinis praestantia multae sunt traditiones, quae illius incolendae alacritatem propterea excitant, quod in extremis Imperii Muslemici finibus sit posita. In illis traditionibus etiam haec est, quam Alius ibn Abou Thaleb, cui sit pax! a legato Dei, cui Deus sit propitius et benignus! accepit: Pergite, inquit, ad Alexandriam vel Kazwin, nam utraque deinceps a gente mea expugnabitur, quippe sunt geminae paradisi portae. Quicunque in iis, vel etiam in earum alterutra unam noctem excubias egerit, non minus a peccatis suis liber erit, quam eo fuerat die, quo a matre in lucem est editus. Eodem pertinet dictum, quod Saïd ibn al Masib ad Prophetae auctoritatem refert: Principes martyrum sunt martyres Kazwinis. Atque ejusmodi proverbia multa feruntur. Inter Kazwin et Dailomitidem mons est, in quo Persidis reges olim excubias collocabant, quando nullae inter eos erant induciae. Hic mons Kazwinenses ab Ismaëlitis segregat, nam ejus latus alterum ab illis, alterum ab his occupatur. 46

Kaseran nomen pagi cujusdam Rayensis, qui bifariam dividitur. Pars altera vocatur Kaseran interior, altera Kaseran exterior. Refert auctor libri Munus rerum peregrinarum inscripti, in ditione Rayae pagum esse, qui Kaseran Birouni (*i. e. interior*) appelletur, ibique in porta superiore singulis noctibus apparere lucernam accensam, quam unusquisque e longinquo ab omni parte conspiciat: at si quis propius accesserit, eum nihil amplius cernere.

Ab ea cognominatur Kaseranensis Geometra, artis suae peritia omnes suae aetatis homines superans. Libros de Geometria conscripsit egregios. Ejus misereatur Deus!

Kasr Schirin, (*sive castellum Schirinae*) inter Bagdadum et Hamadan, in terra plana ad ripam fluminis jacet. Conditum est a Chosroe Aberwizo, in gratiam pellicis suae Schirinae, quae inter pulcerrimas Dei Summi creaturas referenda est. Persae dicunt Chosroëm Aberwizum tria habuisse praeclara, quae nulli neque antiquiorum, neque recentiorum Principum obtigerint, pellicem Schirinam, musicum Barbudum, et equum Schebdizum. Castellum Schirinae hodieque superest. Aedificiis constat magnis et altis, quae atriis excelsis, fornicibus, conclavibus regiis porticibusque et substructionibus in sublime eductis ornata sunt. Quam ob causam aedificatum sit, dissentiunt. In Persarum libris traditur Schirinam fuisse filiam regis cujusdam Armenici, illamque formae pulcritudine reliquas Dei O. M. creaturas superasse. Quod cum Chosroï Aberwizo indicatum esset, mulieribus deditissimo, misit, qui eam per dolum ad se duceret. Sic Schebdizo vecta (*suosque*) fugiens, (*ad Chosroëm*) in Iracam venit.

nit. Cum autem uxores puellaeque Chosroïs eam vidissent et a rege, sorte sua contentissimo, sibi praeferri cognovissent, invidia, cui aemulae imprimis deditae esse solent, correptae sunt. Hinc ipsi regionem elegerunt salsuginosam, aërisque corruptione foedam, et regem ibi castellum pellici aedificari jussisse dixerunt. Et hic quidem est locus arcis Schirinae ad ripam fluvii aquae dulcis sitae. Narrant Schirinam lac recens adamasse, arcem vero longe a pecorum pascuis fuisse remotam, ita ut, dum (*lac*) eo deferretur, omnem calorem amitteret. Cujus rei remedium quaerentibus visum est construere rivulum lapideum, a pascuis ad castellum usque decurrentem. Artificem investigantibus, qui hoc perficeret, commendatus est quidam Ferhad appellatus. Ab eo petivit Schirina ut rivulum faceret, qui per duarum parasangarum spatium a pascuis usque ad castellum decurreret, et ab his ad arcem lac adhuc calidum deduceret. Cum autem arx in edito loco, pascua vero in terra depressa sita essent, murum exstruxit, cujus longitudo duas parasangas superaret, altitudo vero, ad ipsa pascua, viginti circiter cubitos assurgeret, ad arcem vero solo aequaretur. Huic muro rivum lapideum imposuit, superius lapidibus latis obtectum. Denique juxta pascua magnam exstruxit cisternam, aliamque ad ipsam arcem priori similem. Haec autem omnia ad nostrum usque tempus servata sunt; quippe quae vidi, cum eo transirem: nec ulla de istis dubitatio est. Mohammed Hamadanensis (*aliam*) exstructae arcis Schirinae, inter mundi miracula referendae, causam memorat. Hoc enim teste, Chosroës Aberwiz, qui Karmisin incolebat, aliquando hortum sibi exstrui jussit, quadrata forma, duarumque parasangarum amplitudine, in eoque aves ferasque collocari, quae ibi pullos ederent.
47 Ergo hoc opus mille hominibus perficiendum collocavit, quibus alimenta praebuit, donec septennium in eo elaborassent. Opus perfectum invisit Chosroës et admiratus est, atque operariis pecuniam distribui jussit. Postea cum aliquando Schirinae concessisset, ut, quid ipsa vellet, a se peteret, haec eo in horto palatium sibi condi velle dixit, qualem nemo toto in regno haberet, et in quo rivus lapideus vino flueret. Annuit voto Chosroës. Eidem vero mox promissi sui oblito cum rem in memoriam revocare non auderet Schirina, Barbudo praecepit ut inter canendum petitionis suae Chosroëm certiorem faceret, eique suos agros, quos Ispahane habebat, praemii loco promisit. Barbudus ipsi morem gerens, carmen ea de re condidit modumque poematio accommodatum. Chosroës, cantilena audita, Schirinae vota sibi in memoriam revocari sentiens, castellum quam pulcerrime exstrui et rivum confici curavit. Quod ut cognovit Schirina, promissis satisfecit et Barbudo agros suos concessit, a quibus deinceps familia ejus (*Ispahanensis*) appellata. Est ipsi posteritas Ispahane, quae a Barbudo nomen traxit. — Cum quidam poëtarum aliquando castellum Schirinae intrasset, et altas is-

istas structuras vidisset, atriumque Schirinae, ejusque effigiem, nec non famularum speciem muro insculptam conspexisset, hoc carmen recitavit:

Kom urbs Regionis Montanae, inter Sawam et Ispahan, est magna, bona, et munita; sed ingentibus turbis jactata fuit temporibus Hedjadji ibn Yousef, A. 83 (Chr. 702 — 3). Ejus incolae sunt Schiitarum Alidarum partibus addictissimi. Urbis major pars hodie diruta jacet. Aqua, quam ex puteis hauriunt, magnam partem salsa est. Hanc ubi fodiendo assequi volunt, amplam faciunt cavernam, quam deinde a fundo ad marginem usque lapidibus exstruunt. Huc sub hyemis adventum aquam fluvialem et pluviam derivant, quae si aestivo tempore iterum inde hauriatur, bona adhuc reperitur et dulcis. Horti, quorum multi pistaciorum nuciumque avellanarum sunt feraces, hic magno sunt numero et aqua per camelos allata rigantur. Ibi fons est salis, cujus telesma, occulta ratione factum, in saxo cernitur, ut fluxus ejus sit perpetuus, neque per incertos fortunae casus deficiat. Aqua hujus fontis in sal concrescit, quod a quibusvis transeuntibus aufertur. Narravit mihi quidam Jurisconsultus prope Kom esse fodinam salis, ex qua si quis sal auferat, neque ejus pretium relinquat, asinum, cui salis onus sit impositum, claudicare ferunt. Ibidem quoque auri et argenti fodina reperitur, quam tamen hominibus ignotam esse voluerunt, ne ea in re unice occupati, sementem agrorumque cultum negligerent. In hac urbe etiam invenitur telesma, ad depellendos serpentes et scorpiones, a quibus magna mala passi erant cives urbis Kom, antequam hoc telesmate ad montem propinquum (*haec animalia*) translata forent, quo fit ut ad hanc usque diem nemo istum montem transire possit propter serpentum scorpionumque multitudinem. Inter hujus regionis mirabilia illud censendum, quod agalloche etiam acerrimi odoris in aëre urbis Kom non magnam vim habere videatur. Ibidem vallis est lupis cervariis repleta. Aliquando ad Komenses praefectus venisse narratur, Sunnitarum placitis addictus, et hanc apud illos orationem habuisse: Allatum ad me est propter odium vestrum vehementissimum adversus socios legati Dei c. d. b. v. liberos vestros eorum nominibus numquam insigniri. Quod nisi quosdam vestrum mihi adducatis, qui Omari nomen vel Abou Becri cognomen habeant, in vos animadvertam (?). Tum illi totam urbem circumire, et quaerere, donec virum aliquem adducerent luscis oculis, calvo capite, foedum occursu, membris distortum, quem pater, civis urbis Komensis inquilinus, Abou Becrum nominaverat. Hunc ubi vidisset praefectus, ira incensus hominesque verbis objurgans: Vos, inquit, hunc virum nomine Abou Becri insignivistis, quoniam iste inter Dei creaturas facile est tur-

turpissimus, idque argumento esse potest, quanto odio Prophetaē socios prosequamini! (*Cui reprehensioni*) vir quidam facetus respondit: O Princeps! perage quae destinasti. Vel sic tamen haec terra et clima Komense elegantiorem Abou Becri imaginem non producet. (*Quibus auditis*) risit praefectus civibusque pepercit. — Saheb Ibn Ebad Judicem urbis Kom his verbis munere amovit: *Ayoha'l Kadhi bekom Kad âzalnaka wakom*, i. e. O Judex Komensis! te dignitate privamus, quamobrem surge. Ergo judex metrica sententia se damnatum esse dixit.

48 Karkan pagus est Karmisini propinquus, quem Ibn al Fakih scorpionibus olim abundasse refert: eorumque animalium aculeis magnam multitudinem hominum annuum ibi forum celebrantium misere fuisse vexatos. Ergo quidam ex Chosroïbus Balinasum sapientem jussit telesma ad scorpiones depellendos conficere. Qui cum imperio paruisset, nullus omnino scorpius postea in hoc vico repertus est. Quin etiam qui dē illius terrae pulvere sumat, eoque domus suae parietes, ubicumque tandem sita sit, obducat, is nullos in aedibus suis scorpiones videbit. Similiter si quis a scorpione laesus hujus vici terram aqua dilutam biberit, e vestigio sanatur. Nec etiam qui de hoc pulvere aliquid in manum sumserit, deinde scorpionem comprehenderit, ab eo laeditur.

Kakhoulest pagus quidam Nahawendis, in quo invenitur imago equi ex foeno confecti, quod homines hyeme et aestate perpetuo virere vident. Dicunt hoc esse telesma herbae virentis, cujus, adeoque etiam foeni, haec inter omnes regiones feracissima est.

Lonban vicus quidam Ispahanensis, a quo cognominatur vir literatus, praestans, excellens, Abd-ol Aziz, vulgo dictus Al Rafia, auctor carminum pulcerrimorum, corporisque poëmatum et tractatuum variorum. Kazwinum venit in comitatu Djemaleddini Al Baz Khodjenditae, c. d. b. v., ibique in templo majore concionem ad cohortationem audiendam advocavit, in qua hos versus memoravit, ab ipso Rafia, ut ferunt, auctore profectos.

O pincerna! ubi degis ut tibi occurram? Diu est, ex quo faciem tuam videre cupiam.
Rosae soboles stulte sibi tribuit faciem suam similem esse tuae.
Vultusque procax (i. e. albus) *Chamaemelorum nobis persuadet non ipsa, ubi dentes subridendo denudas,*
Sed rosam subridere. Hos dentes tu riga liquore lacrymas flentis stillando imitante.
Ita ut prae intensa utriusque rubedine nesciam utrum tuum (O pincerna!) *vultum, an tuum,* (O vinum!) *colorem videam.*
Cor certe utriusque amore corripitur, et exclamat, eheu, propter vultum propterque colorem!

Hos

Hos versus memoriter ediscunt Kazwinenses et vocant munus Djemal-eddini Khodjenditae Ispahanensis.

Maderoustan locus est duas diaetas ab Holwane distans, ubi magnum palatium cernitur, a fronte amplis sedilibus ornatum, hortique supersunt reliquiae, quem Bahrami Djouri fuisse dicunt. Narrant in alteram ejus partem, Regionem Montanam spectantem, nivem cadere, in alteram vero, quae in Iracam vergit, numquam.

Mahabad pagus magnus prope Caschan, cujus incolae sunt Schiitae, Imamici. Ex eo oriundus est magister praestans, excellens, Al Hasan ibn Ali ibn Ahmed, qui vulgo Afdal cognominatur, Mahabadita. Erat hic adeo literarum peritus, ut suorum aequalium nullum sibi parem haberet; atque undequaque confluentibus, qui eo duce humanitati operam darent, eruditorum hominum corona perpetuo cingebatur. Propriam habebat naturae quandam facilitatem, ingenii lumen, et egregiam poeseos facultatem. Discipulis suis auctor erat ut scientiam sibi compararent divitiasque contemnerent. Huc pertinent versus sequentes, qui inter ejus carmina citantur:

O tu! qui studiose contendis, opes quaerens quae tibi cordi sunt, video te debilem mente et religione.

Quin age! doctrinam arripe, nec eam cum rebus aliis permutare tenta, et te illa minime deceptum scito.

Doctrina prodest viroque manet perpetuo, opesque pereunt, quamvis ad tempus profuerint.

Te (sapientem) *ducit gloria, dum diviti sit humilitas. At quantum intervallum inter gloriam contemtumque!* 49

Mawaschan tractus Hamadanensis, qui in valle ad radicem montis Arwend, per trium dierum iter extenditur, arboribus, aqua et fructibus abundans. Hunc memorat ornamentum Judicum Abou'l Maâli Abdallah ibn Mohammed, (cujus Deus misereatur!) in suo Resalet (*sive tractatu*). Cum in caterva iter facientium Iracensi, quae Hamadanem tendebat, versarer, et viri in valles Mawaschan descenderent, altiora illius non minus quam depressiora loca virebant, et vernum tempus locum bonis vestivit, quae regiones ipsi invident. Illius flores musci instar fragrabant, aquisque limpidissimis fluvii manabant. Ergo descendebant viatores in hortos illius amoenos, frigusque captabant sub arboribus umbrosis foliorumque densitate conspicuis, et turturum querulo murmure vocibusque lusciniarum delectati, hunc versiculum idemtidem repetebant.

Donum tuum, O Hamadan! uva est; prae aliis regionibus te irrigant, O Mawaschan! guttae fluviales.

Huc cives Hamadanenses per aestatem, tempore, quo mala Armeniaca ad maturitatem

 per-

perveniunt, excurrunt, nec arborum fructiferarum aditu prohibent domini. Igitur ibi illud malorum Armeniacorum tempus in otio et laetitia transigunt, de fructibus edentes, multosque alios ex arboribus colligentes, et a nemine prohibiti; quo praeterlapso tempore, domum redeunt. Agri Mawaschanis dominos aliquando aditu homines prohibuisse narrant, sed eum proximo anno arbores nullum fructum tulissent, postea solitam iterum licentiam vulgo concessisse.

Nahawend, urbs antiqua prope Hamadan, quam a Noacho (cui sit pax!) conditam ferunt, quemadmodum etiam ipsa vox indicat, quae proprie scribitur Nouh Awend, et Noachum ibi miracula perpetrasse significat.

Wardjanak vicus est ex ditionibus Hamadanis, inter cujus mirabilia hoc est, quod si quis haemorrhoidibus laboret, quas medici curare non possint, atque Wardjanakam pergat, ab hujus vici incolis levi negotio intra paucos dies sanetur. Isti quippe homines harum rerum peritissimi esse dicuntur, ita ut nemo ad illos accedat, quin illum cura sua malo liberent. Incantamenti ope et herbae, quam possident, ista res peragitur. Nam ubi hominem herba fumigaverint, magicamque formulam super eum legerint, intra paucos dies aegrotus sublevatur.

Hamadan urbs celebris Regionis Montanae, quam condidisse narrant Hamadanem ibn Folouh ibn Scham ibn Nouh, cui sit pax! Doctores Persici hanc maximam hujus regionis urbem fuisse referunt, quippe quae quatuor parasangas quaquaversus pateat. Sed hodie tantam formae amplitudinem non servavit, licet adhuc satis magna sit amplissimamque ditionem habeat. Aër ibi lenissimus, aqua dulcis, solumque egregium est. Sedes regia numquam esse desiit. Infinita gaudet annonae ubertate, arborumque et fructuum multitudine. Ejus cives sunt inter mortales dulci eloquentiae flumine praestantissimi, forma pulcerrimi, indolisque quadam lenitate conspicui. Memoria imprimis dignum est homines ibi nulli moereri esse obnoxios, etiamsi magnis cum malis conflictentur. Incolae imprimis lusibus et laetitiae dediti sunt, quia urbs condita est sub horoscopo Tauri, dum per illud signum stella Veneris transiret, unde magna quoque mali incuria laborant, quam rem poeta hoc versu declarat:

Ne me reprehendas propter mentis imbecillitatem! Utique nosti me esse Hamadanensem.

Ahmed ibn Baschar his verbis Hamadan descripsit:

Hamadan frigus invadere solet: ergo tu abi et contende per vias confragosas, in septentrionem versas infaustasque

Ad terram istam, cujus incolae per octo menses (i. e. per majorem anni partem) *variis delirii generibus afficiuntur.*

Et

Et si vitae tuae triente contentus sis, regionem illam diligito! tum profecto numeraberis ex stultorum stultissimis.

Cum marcescunt herbae, tum per tractus eorum irruit a septentrionibus foliorum lacerator,

Frigusque sagittam jacit, cujus ictum penetrantem neque loricae tegumenta neque scuta avertunt.

Donec de improviso ipsos invadit dies molestissima frigoris, hominesque in tunicas ut in latibula totos se abdunt.

Ad divitem quod attinet, is domi quasi obsessus tenetur, et cum muribus campestribus hyemem in foramine transigit.

Pauperes vero, O per Deum pauperum Dominum! quid tandem patiuntur frigore et vigiliis!

Quisquis ibi moratur aut mane aut vespere, lassatur molestiis frigoris nivisque, quibuscum conflictatur:

Nam aqua instar lapidis congelascit, fluminaque indurescunt, et in via humus (glacie horrida) *quasi dente mordet* (praetereuntem).

Yal ager quidam est oppidi Kazwinensis tres parasangas ab urbe distans, in quo jacet mons Yaleh Bischam dictus. Narravit mihi aliquis, qui hunc montem adscendit, se in eo vidisse effigies animantium a Deo O. M. in duros lapides conversorum. Inter haec quoque pastor cernitur baculo suo innixus gregemque pascens, ejusque uxor vaccam mulgens, aliaque hominum et animalium simulacra, quae deinde Deus Summus omnia in lapides mutavit. Res ipsa omnibus Kazwinis civibus nota est. Ibidem loci fons invenitur ex montis fissura prorumpens, cujus aqua eximia et valde calida in receptaculum ibi exstructum colligitur. Eo confluunt omnes, qui claudis pedibus aut scabie, aliisque malis laborant, quibus omnibus manifestam praebet salutem. Hinc incolae hujus regionis eum vocant Yaleh Karmab (*i. e. calidae aquae*).

REGIONIS MONTANAE, SIVE IRACAE PERSICAE, DELINEATIO, EX ABULFEDAE ISMAELIS IBN ALI PRINCIPIS HAMATHAE LIBRO, QUI RECTA PROVINCIARUM CONSTITUTIO APPELLATUR, DESCRIPTA.

---

51 Cum trium provinciarum, Armeniae, Arranae et Adzerbeydjanae, tractuumque adjacentium descriptio ad finem perducta sit, transeo ad delineandam Regionem Montanam, vulgo nomine Iracae Persicae cognitam. Hujus regionis limites sunt ab occidente Adzerbeydjana, ab austro nonnullae partes Iracae et Khouzistanae, ab oriente Desertum Khorasanae et Persidis, denique a septentrione Regio Daylomitica (*urbesque*) Kazwin et Raya, secundum eos, qui duo haec oppida a Regione Montana secernunt et ad Daylomitidem referunt, quoniam ab hujus regionis montibus cinguntur.

Ad Regionem Montanam pertinet Mawaschan, quod nomen, ex mea opinione, scribitur cum mim fathata, elif quiescente, waw fathata, schin, elif et denique nun. In libro autem, Al Lobab dicto, Mawaschan una cum Mianadj, quod ad Adzerbeydjanam pertinet, describitur, ob loci amoenitatem arborumque et aquae abundantiam laudatur, et Hamadani propinquum esse dicitur. Eundem hunc locum Al Kadhi Abou'l Hasan Ali ibn al Hasan Mianadjita in carmine suo his versibus celebravit:

Quando pulcri commemorantur horti, adesdum ad vallem Mawaschanis!
Invenies (ibi) *ramorum umbram omnem curam depellentem, et oblectamentum, animum ab omni negotio sevocans,*
In hortis amoenis, et murmure aquae fluentis, trichordis et dichordis dulciori,
Cantuque lusciniae cum fructibus, quos putares gemmas et margaritas.
O tu pulcra mansio! nisi desiderium me sociorum teneret in Derb al Zaferan morantium.

Inter castella, quae in his regionibus inveniuntur, recensetur Coschaf, (cum kef dhammata, elif et ultima fe), quod est parvum castellum inter Zabum et Tigridem haud longe ab illo loco situm, ubi Zabus in Tigridem se exonerat. Duas diaetas ab

ab Irbile occidentem versus distat, sibique adjuncta habet prata et pascua, in quibus Tatari degere solent.

Dicit Ibn Haukal Hamadan in media Regione Montana situm esse, Zendjan autem jacere in parte septentrionali, et ad ejus austrum esse Abhar; montem Danawend occupare tractum orientalem, et a latere illius occidentali in austrum vergente urbs Rayam collocatam esse. Inter Rayam et Abhar inveniri Thalekan et Kazwin, quae urbes 52 tamen non accurate medio inter Rayam et Abhar loco sitae sunt, sed paullisper versus austrum recedunt. Sawah, eodem teste, est ad occidentem Rayae, et ad austrum Thalekanis. Awah autem ab occidente et austro Sawae jacet. Dainawar ab occasu Hamadanis sita versus septentrionem deflectit, et Nahawend (*eandem urbem*) Hamadan a meridie spectat. Ispahan extremum limitem Regionis Montanae australem occupat. Urbes majores Regionis Montanae sunt Hamadan, Dainawar, Ispahan et Kom; quibus magnitudine inferiores sunt Kaschan et Nahawend. Inter ea loca, quae ad Hamadan referuntur, est Aznawah, castellum in arundinetis Hamadanis situm, quod secundum auctorem libri Al Lobab scribitur cum elif fathata, ze quiescente, nun fathata, elif, waw et he. Ab Hamadane ad Dainawar sunt plus quam viginti parasangae; ab Hamadane ad Sawam triginta; a Sawa ad Rayam similiter triginta parasangae; ab Hamadane ad Zendjan per Schahrozour sunt triginta, ad Ispahan octoginta, et ad initium Khorasanae fere septuaginta parasangae. Sawah autem a Kome duodecim circiter parasangas distat; totidemque Kom a Kaschane. A Raya ad Kazwin sunt triginta parasangae; a Dainaware ad Schahrozour quatuor diaetae, et ab Ispahane ad Kaschan tres diaetae.

Kom, teste auctore libri Al Lobab, A. Hedjrae 83 (Chr. 702 — 3) exstructa est ab Abd-alla Saadane, Akhwazo, Ishako, Naimo et Abd-orrahmane, filiis Saadi ibn Malec ibn Amer Aschaaritae. Hi nempe socii fuerant Abdorrahmanis ibn Mohammed ibn al Aschats; quo ab Hedjadjo ibn Yousef Tsakefita in fugam verso, dicti viri in hoc loco substiterunt, ubi septem vici erant, sibi invicem propinqui. His igitur vicis, magna popularium turba collecta interfectisque pagorum principibus, cum potiti essent, novis aedificiis exstructis, septem illi pagi totidem urbis vici facti sunt; quae urbs Kom appellata est. Quippe uni ex vicis nomen Komdan fuerat, unde omissis compendii causa quibusdam literis, et mutata, Arabum more in nominibus peregrinis scribendis, litera kef in kaf, Kom factum est. Abd-allae Saadani isti filius fuit, Mousa dictus, qui ex Coufa ad Kom migravit, atque ibi sectam Schiiticam condidit.

Inter urbes Regionis Montanae etiam numeratur Roudzrawar, quae, ut ait Ibn Haukal, est urbs proventu abundans, parva, at aqua fructibusque referta. Sed Roudz-

rawar revera est nomen tractus, atque etiam oppidi, in quo multus et praestans crocus invenitur. Auctor libri Al Lobab Roudzrawar scribendum esse dicit cum re dhammata, waw quiescente, dzal, re fathata, elif, waw fathata, et denique re tertia. Idem porro dicit ex hoc oppido in Hamadanis ditionibus sito multos viros doctos originem duxisse.

Pertinet etiam ad Regionem Montanam Zarend, quod nomen, teste auctore libri Al Lobab, scribitur cum ze fathata, re, nun quiescente et ultima dal. Hoc oppidum, inquit, jacet in Ispahanis ditionibus. In libro Al Athwal (*seu Longitudinum*) ejus longitudo esse dicitur 73° 40′ et latitudo 36° 30′; in Canone autem ei 73° longitudinis et 38° latitudinis tribuuntur.

Auctor libri al Lobab dicit Dolidjan scribi cum dal dhammata, lam kesrata, ye quiescente, djim fathata, elif et nun, illudque oppidum esse ditionis Ispahanensis, atque etiam vocari Dsolikan.

53 Inter celebres autem tractus, qui in Ispahanis ditione inveniuntur, recensetur Rawend, quod cum re fathata, waw, quiescente nun, et dal scribitur, et a quo nomen gentile est Al Rawendi. Item Khan Lendjan, cujus pars prior, Khan, quomodo scribenda sit, uti refert auctor libri Al Lobab, notum est; at Lendjan exaratur cum lam fathata, nun quiescente, djim, elif et nun. Est oppidum in tractu Ispahanensi situm, cujus nomen gentile est Al Khani, quemadmodum a taberna sive Khan, Al Khani vocatur, qui in ea degit.

Djay, teste Yakouto in Moschtareko, scribitur cum djim fathata, et teschdid supra ye, estque nomen urbis Ispahanis antiquae, quae prius, ut ait, vocabatur Djay, dein autem Schahrestana. Hujus major pars est diruta, sed Yehoudia, quae est urbs Ispahanis major, adhuc hominibus frequentatur. Inter Yehoudiam et Schahrestanam spatium est unius fere milliaris vastatum, vel (*ut aliis visum*) inter Ispahanis urbem Djayam et Yehoudiam fere sunt duo milliaria. Nominis Yehoudiae hanc causam refert Yakoutus, quod Nebucadnezarus, postquam Hierosolymas vastasset, ejus incolas ad Ispahan transportarit, ubi habitationes sibi aedificarint. Longo inde tempore interjecto, desolata est Ispahanis urbs Djay, et solus Judaeorum vicus deinceps incolis frequentatus est. Denique Moslemi, postquam Judaeis se immiscuissent, urbem amplificarunt quidem, sed Judaeorum nomen ipsi nihilominus adhaesit, et Yehoudia dicta fuit.

Ibn Haukal majorem ait Regionis Montanae (etiam nomine Iracae Persicae celebratae), partem esse montibus obsessam, nisi illos tractus exceperis, qui inter Hamadan et Rayam et Kom interjacent, nam ibi pauci montes sunt. Quod si limites Regionis Mon-

Montanae inde a Schahrozoure percurrere velis, primum procedas versus orientem ad Holwan, dein ab Holwane ad Ispahan, ab Ispahane, juxta confinia Persidis et Regionis Montanae, ad Kaschan et Kom, denique te convertas ad Kazwin et Sohrward.

Borkhawar, quemadmodum refert auctor libri Al Lobab, scribitur cum be dhammata, re quiescente, kha fathata, dein waw, elif, et ultima re. Est tractus Ispahanensis multos pagos complectens.

Idem Somairamis scriptionem sic refert: sin dhammata, mim fathata, ye quiescente, re et mim. Est oppidum inter Ispahan et Schiraz et in extremis Ispahanis limitibus situm.

Auctor Moschtareki Noubahar scribendum esse dicit cum nun dhammata, waw quiescente, be fathata, he, elif et re, et locum esse testatur qui duas circiter stationes distet a Raya in via Ispahanensi.

Denique auctor libri Al Lobab Nathanz scribit cum nun fathata, tha, nun quiescente, et ultima ze, illudque parvum oppidum vocat in tractu Ispahanensi. Assemanius vero dicit ex sua opinione inter illud et Ispahan viginti fere parasangas interesse.

Schahrozour. Athwal Long. 70° 20′, Lat. 25° 30′; Resm Long. 70° 20′, Lat. 36° 35′. Ex Clim. 4°, et Reg. Mont. Secundum Al Lobab cum schin fathata, he quiescente, re dhammata, ze, quiescente waw et ultima re. Ibn Haukal Schahrozour parvum oppidum esse refert. Al Mohallebi in Al Azizi: Schahrozour, inquit, contigua est regioni Meragae, a qua sex diaetas distat. Solum Schahrozouris est durum et asperum, et tamen, uti refert, proventu mercibusque ex filis gossipinis maxime confectis abundat. Ejus incolae sunt duri et iniqui. In Al Lobabo Schahrozour memoratur oppidum inter Mausal et Hamadan, quod condiderit Zour ibn al Dhohak, a quo dictum sit Schahrozour, quod significet Urbs Zouris. Dicitur etiam in Al Azizio hoc oppidum ab Holwane viginti duas parasangas distare. 54

Irbil. Ibn Said Long. 69° 50′, Lat. 36° 20′. Ex Clim. 4°. Schahrozouris metropolis. In Yakouti Moschtareko scribitur cum elif kesrata, re quiescente, be kesrata et lam. Ibn Said dicit Irbil esse urbem novam, regionisque Schahrozouris metropolim. Yakoutus in Moschtareko: Irbil, inquit, urbs est inter duos Zabos sita et duas stationes minores a Mausale distans. Irbil etiam nomen est urbis Saydae in litore Syriae. Civium Irbilensium aliquis narrat Irbil esse urbem magnam, cujus major pars diruta sit. Habet urbs (*ut ajunt*) arcem in alto colle intra murum ab oppidi latere conditam. Jacet urbs in planitie, nam montes ultra unam diaetam distant. Sunt ibi mul-

multi canales, quorum duo per urbem ad templum majus aedesque Principis pergunt. Jacet ab oriente australi Mausalis.

Kirmisin vel Kirman Schah. Athwal Long. 73°, Lat. 34° 30′; Canon Long. 74° 3′, Lat. 34° 10′. Ex clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum kaf kesrata, re quiescente, mim kesrata, ye quiescente, sin kesrata, altera ye, et ultima nun. In multis autem libris invenimus elif pro ye priori. Auctor libri al Lobab inscripti dicit Kirmisin esse urbem in Iracae montibus prope Dainawar sitam, et triginta parasangas ab Hamadane distantem; eandemque Kirman Schahan vocari refert. In Azizio autem Karmisin dicitur esse urbs nobilissima Regionis Montanae et dignitate praestantissima. Estque culta et hominibus referta. In ea crescit crocus.

Al Dainawar. Athwal Long. 73°, Lat. 45°; Canon Long. 76°, Lat. 35°. Ex Clim. 4° et secundum Al Lobabum ex Regione Montana. Haec ejusque ditio vocantur Mah al Coufah. In Al Lobabo scribitur cum dal fathata, ye quiescente, nun fathata, waw, et ultima re. Ibn Haukal Dainawar ad occidentem Hamadanis cum deflexu ad septentrionem situm esse ait, illamque urbem esse fructibus et annona abundantem, aqua locisque amoenis divitem. Auctor Al Lobabi Dainawar inter oppida Regionis numerans Montanae prope Kirmisin ponit. In Azizio haec urbs a Mausale quadraginta, a fontibus fluvii Zabi decem, et ab urbe Meraga quadraginta parasangas distare dicitur. Eandem Ibn Said Hamadani similem esse refert.

Kasr al Losous (*sive castellum latronum*). Athwal Long. 73° 20′, Lat. 34° 40′; Canon Long. 74° 30′, Lat. 34° 30′. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. Scribitur cum kaf fathata, sad quiescente, et ultima re. Losous est plur. a Las. In Al Lobabo Kasr al Losous Asadabadi propinquum esse dicitur. (*Takoutus*) in Moschtareko Kasr al Losous Kinkiwar vocari ait, cum utraque kef kesrata, sive secunda fathata, nun quiescente, waw fathata, denique re. Urbs est, inquit, inter Kirmisin et Hamadan. Est etiam (*ejusdem nominis*) arx munita prope Djezirat Ibn Omar. Eadem refert auctor Al Lobabi. Abou'l Madjed, in libro Al Tamyiz inscripto, Kasr al Losous Kinkiwar appellari auctor est, illamque arcem septem ab Asadabade parasangas distare dicit.

55

Kasr Schirin (*sive castellum Schirinae*). Canon Long. 71° 33′, Lat. 30° 40′; Kyas Long. 71° 40′, Lat. 33° 55′. Ex Clim. 4° et Reg. Mont., sed secundum Canonem ex Iraca. Scribitur cum kaf fathata, sad quiescente, et ultima re; dein schin kesrata, ye, re, altera ye et nun. In Moschtareko castellum Schirinae, pellicis Chosroïs Berwizi, Kirmisini propinquum esse et inter Hamadan et Holwan jacere dicitur. Inter duo castella (?) intervallum est quinquaginta parasangarum. Schirina, teste Edrisio, fuit uxor Chosroïs, ab eaque hoc castellum nomen suum habuit. Hoc loco mirandae sunt regum

gum Persarum reliquiae. Inter hoc castellum et Khanakin intervallum est septem parasangarum; ab eodem ad Holwan sunt quinque, ad Schahrozour vero viginti parasangae.

Sohraward. Athwal Long. 73° 20', Lat. 36° 8'. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum sin dhammata, he quiescente, waw fathata, altera re quiescente et ultima dal. Sic quidem ibi loci scriptio nominis indicatur, nulla prioris re mentione facta; quam illius scribendi rationem hic summatim memorandam esse duximus. Ibn Haukal dicit Sohraward esse urbem parvam, a Curdis occupatam. Auctor al Lobabi dicit Sohraward esse oppidum prope Zendjan.

Al Saimarah. Canon Long. 71° 50', Lat. 34° 40'. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Moschtareko scribitur cum sad fathata, ye quiescente, mim fathata, re et ultima he. Ibn Haukal refert Saimaram esse urbem parvam, aqua, arboribus et arvis divitem, situque amoenam, quin aquas etiam ipsas domos vicosque perfluere. Ahmed Al Katib hanc urbem sitam esse ait in prato amplissimo et fontibus fluviisque irriguo, illamque a Sirawane duas distare stationes. In Moschtareko Saimara vocatur tractus Basrae, multos vicos continens; sed ejusdem etiam nominis oppidum esse memoratur in Regione Montana circa fines Khouzistanae, quod fructibus et aqua abundet. Eadem fere de Saimara in Lobabo narrantur.

Al Thalekan in Regione Montana. Athwal Long. 75° 45', Lat. 36° 10'. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Moschtareko scribitur cum tha fathata, lam, kaf, elif et nun. In Al Lobabo autem lam quiescere dicitur. In Moschtareko duo hujus nominis loci esse traduntur, quorum alter in Khorasana situs est, atque adeo in hujus regionis descriptione (*a nobis*) commemorabitur; alter Regionis Montanae oppidum et tractus est, inter Kazwin et Abhar. Ibn Haukal Thalekan Dailomitidi quam Kazwini propius esse refert; quin etiam haec urbs in libro Longitudinum Persico ad Dailomitidem refertur. Ahmed al Katib Thalekan inter duos magnos montes situm esse narrat.

Al Sirawan, ejusque urbs Masabadan. Athwal Long. 73°, Lat. 33° 30'; Canon Long. 72°, Lat. 34° 30'. Ex Clim. 4°. Tractus Masabadan pertinet ad Regionem Montanam. In Moschtareko (*Sirawan*) scribitur cum sin kesrata, quiescente ye, re fathata, waw, elif et nun. Masabadan cum mim, elif, sin, be, dzal, omnibus fathatis, denique elif et nun. Ahmed ibn Abou Yakoub al Katib, Sirawan, quae etiam Masabadan vocatur, urbem antiquam esse scribit, quae inter montes angustiasque jacet, et eatenus Meccae est similis. In illo tractu fontes esse narrat, quorum aqua mediam urbem perfluit. Porro hoc oppidum duas stationes a Saimara distare perhibet. 56

 Mosch-

Moschtareki auctor: Sirawan, inquit, tractus est Regionis Montanae, nec differt a Masabadane, etsi alii dicant hunc tractum Masendani esse contiguum, alii simpliciter vicum Regionis Montanae esse velint. Duo praeterea ejusdem nominis loci sunt, alter vicus Nesefi, alter Rayae propinquus. Al Mohdi Abbasida, teste Ibn Khalicano, hunc locum incoluit, in eoque obiit et sepultus est. De eo dixit Merwan ibn Abou Hafsa:

Nobilissimum sepulcrum, post illud Mohammedis prophetae veram viam monstrantis, est sepulcrum Masabadane.

Asadabad. Athwal Long. 73° 40′, Lat. 34° 50′. Ex Clim. 4° et, teste Ibn Haukalo, ex ditione Djordjanae. In Moschtareko scribitur cum elif fathata et sin. Persae autem, inquit, illud scribunt cum sin quiescente; reliqua vero vocis pars quomodo scribenda sit ibi non indicatur. In Al Lobabo cum elif fathata, sin, dal, be fathata inter duas elif quiescentes, denique dzal. In eodem opere Asadabad oppidum esse traditur, unam stationem ab Hamadane distans in Iracam exeunti, ex quo multi oriundi sint viri docti. In Moschtareko Asadabad etiam vicus quidam esse narratur Baihaki in ditione Nisabouris Khorasanae. Auctor libri Al Azizi inscripti, inter Asadabad et Kasr al Losous septem parasangas interesse dicit; inter idem oppidum et Hamadan novem, denique ab Asadabade ad Dainawar septemdecim.

Zendjan. Athwal Long. 73° 40′, Lat. 36° 30′; Canon Long. 73°, Lat. 33°. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum ze fathata, nun quiescente, djim fathata, elif et nun. Zendjan, teste Ibn Haukalo, extrema urbs est in septentrionali limite Regionis Montanae, a cujus austro sita est urbs Abhar. In Al Lobabo Zendjan oppidum esse narratur Regionis Montanae in confiniis Adzerbeydjanae, e quo permulti viri docti originem traxisse feruntur.

Nohawend. Athwal Long. 73° 45′, Lat. 34° 20′; Resm Long. 72°, Lat. 36°; Ibn Said Long. 73° 31′, Lat. 36°; Canon Long. 76° 20′, Lat. 35°. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum dhammata nun, fathata he, quiescente elif, fathata waw, quiescente nun, et denique dal. Ibn Haukal: Nohawend, inquit, jacet ad meridiem Hamadanis. Est urbs in monte condita, fluvios habens et hortos. Abundat fructibus, qui ob praestantiam in Iracam deportantur. In Al Lobabo Nohawend oppidum Regionis Montanae vocatur, quod Noachum, cui sit pax! condidisse ferunt; ita ut ejus nomen (*antiquitus*) Nouh Awend, et (*deinceps*), ha in he mutata Nohawend fuerit: quod an verum sit Deus optime novit. In libro Al Ansaab (*sive Genealogiae*) inscripto, traditur ibi loci ingentem pugnam a Moslemis tempore Omari ibn Khitab c. d. b. v. commissam fuisse. Assemanius ibi se aliquot dies commoratum esse re-

refert; et in Azizio hanc urbem quatuordecim ab Hamadane parasangas abesse legimus.

Hamadan. Athwal Long. 74°, Lat. 35°; Resm Long. 73°, Lat. 36°; Canon 57 Long. 75° 20', Lat. 34° 40'. Ex Clim. 4°. Haec urbs ejusque ditio vocantur Mah al Basrah. In Al Ansabo scribitur cum he fathata, mim, dzal, elif et nun. Ibn Haukal: Hamadan, inquit, jacet in media Regione Montana. Ab hac urbe ad Holwan, primum Iracae oppidum, sunt sexaginta septem parasangae. Est urbs magna, quatuor portas habens, et aqua multisque hortis et arvis felix. Kom, teste Ahmede al Katib, jacet ad orientem Hamadanis, et ab ea sex stationes distat. In Al Lobabo ad Hamadanis ditionem pertinere dicitur Djourkan, quod scribitur cum djim dhammata, waw quiescente, re, kaf, elif, et ultima nun. Auctor Al Ansabi refert Hamadan, urbem Regionis Montanae, sitam esse in via peregrinatorum sacrorum et catervarum iter facientium. Dixit quidam excellentium virorum Hamadanensium:

Hamadan mihi urbs patria est; (hoc) in laudem ejus memoro: veruntamen est ex foedissimis urbium.

Quippe illic pueri deformitate similes sunt senibus, senes autem intellectu similes pueris.

Boroudjird. Athwal Long. 74° 30', Lat. 34° 20'. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum be dhammata, re, waw, djim kesrata, quiescente altera re, et ultima dal. Boroudjird, ut ait Ibn Haukal, urbs est annona abundans, cujusque fructus ad Karadj Abi Dolaf devehuntur. Crescit ibi etiam crocus. Auctor Al Lobabi refert Boroudjird esse oppidum arboribus fluviisque dives, quod ad Regionem Montanam pertineat, et octodecim parasangas ab Hamadane distet. Ex eo multi viri docti prodierunt.

Abhar. Athwal Long. 74° 30', Lat. 36° 55'; Canon Long. 74°, Lat. 33°. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Moschtareko scribitur cum elif fathata, be quiescente, he fathata, denique re. Ejusdem libri auctor tradit hanc urbem sitam esse inter Kazwin et Zendjan in Regione Montana; atque aliud ejusdem nominis oppidum esse in tractibus Ispahanis. Ibn Khordadbeh duodecim parasangas interesse statuit inter Abhar et Kazwin, quindecim vero inter eandem urbem Abhar et Zendjan.

Sawah. Athwal Long. 75° 45', Lat. 35°; Canon Long. 76°, Lat. 35°. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum sin fathata, dein elif, waw et he. Ibn Haukal Sawam ad occasum Rayae, et ad meridiem Thalekanis collocat; Awam vero ad occidentem australem Sawae. Mohallebensis in Azizio: Sawah, inquit, est urbs praeclara, in via regia peregrinatorum sacrorum, qui ex Khorasana veniunt, sita. In ea inveniuntur fora egregia, urbemque elegantissimam commodissima di-

diversoria ornant. Inter Sawam et Kom intervallum est duodecim parasangarum. In Al Lobabo Sawah inter Rayam et Hamadan sita esse dicitur.

Khowar. Canon Long. 73° 40′, Lat. 35° 40′; Athwal Long. 76° 10′, Lat. 35° 40′. Ex Clim. 5° et Reg. Mont. In Moschtareko scribitur cum kha dhammata, waw simplici, quiescente elif, et ultima re. Ibidem Khowar urbs vocatur agri Rayensis, inter hanc urbem et Samanam sita, quam permeënt itineratorum catervae. In Al Lobabo dicitur haec esse Khowar Rayae. Quin etiam refert auctor Canonis, raro hanc urbem sine addito Rayae nomine memorari, atque adeo hinc derivatum gentile esse 58 Khowarrazi. Khowar, ut Ibn Haukal narrat, est urbs parva, quartam fere milliaris partem complectens. Inter homines illius loci nonnulli nobilitate insignes esse feruntur. Aquam habent fluvialem, quae ex Dombawendis tractu oritur. Gaudet etiam urbs cultis agris et pagis compluribus.

Kazwin. Athwal Long. 75°, Lat. 36°; Canon Long. 75°, Lat. 37°; Resm — — Ex Clim. 4°. Limes Dailomitarum et Regionis Montanae. In Al Lobabo scribitur cum kef fathata, ze quiescente, waw kesrata, quiescente ye et ultima nun. Ibn Haukal: Kazwin, inquit, urbs est arce munita, aquam habens, quae tam ex pluvia colligitur, quam ex puteis hauritur. Canalem possidet (*adeo*) parvum, ut bibentium tantum usibus, nec ultra, inservire possit. Haec urbs proventu abundat, et est regionis Dailomiticae terminus. Kazwin et Thalekan media sunt inter Rayam et Abhar, quamvis paululum ad meridiem deflectant. Kazwin arboribus et vitibus dives est, quae sola pluvia rigantur, cum non habeat aquam fluvialem aliam nisi eam duntaxat, quae bibitur, et in templum deducitur. Ahmed al Katib hanc urbem in radice montis Dailomitidem terminantis jacere refert; atque aquam ejus canalis esse insalubrem testatur Ibn Haukalus.

Abah sive Awah. Athwal Long. 75° 10′, Lat. 34° 40′. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. Yakoutus in suo Moschtareko nomen scribit cum hamza fathata, elif quiescente, dein be et he. Mohallebensis dicit urbem Awam ab Hamadane distare viginti septem parasangas versus ortum, cum levi in septentrionem flexu. Addit Kazwinis et Awae eandem rationem esse, nempe Kazwin ab Awa itidem versus ortum septentrionalem, sed sedecim parasangas, esse remotam. Yakoutus in Moschtareko: Abah, inquit, vulgo Awah vocatur. Quinque milliaria a Sawa remota est et inter Rayam et Hamadan interjacet. Idem quoque Abam ait vicum esse quemdam Ispahanensem.

Djarbadzakan. Athwal Long. 75° 25′, Lat. 34°. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Moschtareko scriptum invenitur cum djim fathata, quiescente re, be, elif, dzal, kaf, elif, et ultima nun. In Lobabo autem cum quiescente dzal, et kaf fathata.

Mosch-

Moschtareki auctor refert Djarbadzakan esse oppidum inter Caradj et Hamadan, illudque a Persis vocari Derbyakan. Ejusdem nominis urbem esse tradit inter Asterabad et Djordjan. In Al Lobabo utriusque oppidi Djarbadzakan, unius, quod inter Ispahan et Caradj, et alterius, quod inter Asterabad et Djordjan jacet, memoria exstat.

Kom. Athwal Long. 75° 40', Lat. 34° 45'; Resm Long. 74° 55' (?), Lat. 35° 40'; Canon Long. 77° 10', Lat. 34° 10'. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum kaf dhammata, et mim duplicata. Kom, teste Ibn Haukalo, urbs est muro cincta et munita; cives aqua ex puteis hausta utuntur. Horti rigantur ope canalium, et arboribus pistacia et nuces avellanas ferentibus sunt consiti. Ejus incolae sunt Schiitae. A Raya ad Kom sunt parasangae una et viginti, a Kome ad Kaschan sedecim, et a Kaschane ad Ispahan quadraginta sex. Mohallebensis ait Kom sitam esse in planitie viridi, quae quaquaversus ad decem parasangarum spatium pateat, et ad montes usque extendatur; pertinet enim ad Regionem Montanam. Porro pistacia profert, qualia nusquam alibi reperiuntur. Auctor Al Lobabi refert Kom inter Ispahan et Sawam jacere, illamque A. H. 83 (Chr. 702 — 3) conditam esse. 59 Quis autem eam exstruxerit, in summa pagina indicavimus.

Kaschan. Athwal Long. 76°, Lat. 34°; Canon Long. 77° 40', Lat. 34°. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scriptum invenitur cum kaf fathata, elif quiescente, schin, vel etiam sin, dein elif et nun. Ibn Haukal hanc urbem magnitudine Komi cedere ait, majoremque domorum partem ex luto factam esse. Auctor Al Lobabi tradit hoc oppidum Komi propinquum esse, ejusque cives Schiitarum sectam sequi, multosque viros doctos ex eo ortos esse. In Azizio Kaschan ut urbs elegans et mediocris Regionis Montanae describitur, quae annona abundet, et cujus tributum inter reditus aerarii Komensis censeatur. In Al Lobabo autem dicitur Kaschan sive per sin sive per schin scribi posse.

Raya. Athwal Long. 76° 20', Lat. 35° 35'; Resm Long. 75°, Lat. 35° 45'; Canon Long. 73°, Lat. 35° 35'. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. Secundum Al Lobabum scribitur cum re fathata, et ye duplicata. Ibn Haukalus: Raya, inquit, urbs est magna, nam quaquaversus parasangam cum dimidia aedificiis occupat. In ipsa urbe, praeter duo flumina, etiam sunt canales. Inveniuntur ibi sepulcra Mohammedis ibn al Hasan al Fakih, et Al Kasai al Mokri. Multum inde gossypii in Iracam defertur. Jam vero ex verbis Ibn Haukali efficitur Rayam ad Dailomitidem pertinere, nam ad hujus regionis descriptionem eam retulit. Eodem teste, a Raya, quae ad occidentem australem montis Dombawend jacet, ad Adzerbeydjanae initium sunt fere octo stationes, ad Sawam tres

 cum

cum dimidia, ad Koumes una statio, a Koumese vero ad Damegan octo, ab hoc denique loco usque ad ditionem Nisabouris Khorasanae quinque stationes. Auctor al Lobabi refert Rayam esse urbem magnam Regionis Dailomiticae, inter Koumes et Regionem Montanam. Nomen gentile ab ea formatum est Al Razi, adjuncta a fine litera ze.

Ispahan. Athwal Long. 76° 40′, Lat. 32° 40′; Resm Long. 74° 40′, Lat. 34° 30′; Canon Long. 76° 50′, Lat. 33° 30′. Ex Clim. 3° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum elif kesrata, vel, ut ait, fathata, quiescente sad, be et he fathatis, et ultima nun. Be etiam in fe mutatur. Ibn Haukalus: Ispahan, inquit, in Regionis Montanae parte meridionali jacet. Constat duabus urbibus, quarum altera vocatur Yehoudiah. Ispahan ad urbes annona ditissimas et pomoerio amplissimas pertinet. Invenitur ibi fodina antimonii, Persidi adjacens. Viatoribus, qui Ispahane Rayam proficiscuntur, orientem versus procedendum est; non tamen eo recta tenditur, sed per viam quae ad Kaschan et dein ad Kom ducit. Assemanius refert se a nonnullis audivisse, hanc urbem Persice Sipahan vocari. *Sipa* autem, inquit, exercitum significat, et *han* pluralem numerum designat; quippe solebant copiae Khosroum, ut Persidis, Kermanae et Ahwazae exercitus, ingruente bello, in hanc urbem congregari. Arabum vero more pronuntiata audit Ispahan.

Ardestan. Athwal Long. 76° 10′, Lat. 33° 30′. Ex Clim. 3° extremo et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum elif fathata, re quiescente, dal fathata, sin quiescente, te fathata, dein elif et ultima nun. Idem auctor refert Ardestan esse oppidum in ora deserti situm, quod ab Ispahane octodecim parasangas distet. Dicitur etiam Irdistan cum elif et dal kesratis.

60

Caradj Abi Dolaf. Canon Long. 76° 40′, Lat. 34°; Athwal Long. 74° 45′, Lat. 34°. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Moschtareko scribitur cum kef fathata, re etiam fathata, et ultima djim. Caradj, teste Ibn Haukalo, urbs est ex separatis aedificiis, neque, (*ut in aliis urbibus*) inter se conjunctis constans. Vocatur Caradj Abou Dolafi, quoniam ipsi ejusque liberis sedes fuit. Sunt ibi arva et pecora, sed nulli horti nullaque loca amoena. Fructus ad eam ex Boroudjirde deportantur. Ipsa urbs, in longum extensa, fere parasangae spatium occupat. Moschtareki auctor ait urbem inter Hamadan et Ispahan jacere, eamque condidisse Abou Dolafum Al Kasemum ibn Isa Adjalitam, ad quem in hac urbe degere solitum lectores (?) confluxerunt. Caeterum ob frigoris vehementiam est infamis.

Mons Dombawend. Tab. Astr. Long. 77° 55′, Lat. 35° 55′; Canon Long. 76° 30, Lat. 36° 20′. Ex Clim. 4° et Reg. Mont. In Al Lobabo scribitur cum dal dhammata,

ta, quiescente nun, dein be, elif, waw fathata, nun quiescente, denique dal. Alii dicunt Domawend cum mim. Sed prius melius videtur. Ibn Haukal narrat montem Dombawend esse altissimum, ita ut ex intervallo quinquaginta parasangarum conspiciatur; quin etiam dicunt neminem hunc montem adscendere posse. Mons Dombawend in extrema ditione Rayae jacet. Est hic mons, inquit, in limite orientali Regionis Montanae situs, quemadmodum Zendjan in termino septentrionali. Et Djond (*i. e. jurisdictio vel ditio*) Dombawend est ad orientem septentrionalem Rayae. Auctor Al Lobabi ait Dombawend tractum quemdam esse Regionis Montanae, qui Thabaristanam spectet.

[*Appendix ex Prolegomenis Operis Abulfedaei Recta Provinciarum Constitutio inscripti*].

Fluvius Thab, de quo aliquis dixit: Vita mea mihi dulcis non est, nisi apud fluvium Thabum, teste Ibn Haukalo, oritur juxta Al Mardj ex montibus Ispahanis, (quae urbs sita est ad Long. $76\frac{2}{3}°$ et ad Lat. $32°$; sive, ut rectius in Canone traditur) ad Long. $77\frac{1}{3}°$ et ad Lat. $33°$. Hic fluvius Thab, postquam alium Masn dictum in se recepit, ulterius procedens juxta portam Ardjanis praeterlabitur ad Long. $76\frac{1}{4}$ et Lat. $30\frac{1}{2}$. Prope Schiniz denique ad Long. $75°\ 35'$, et Lat. $29°\ 10'$, in mare se exonerat.

Fluvius Zenderoud est fluvius magnus ad portam Ispahanis. Scribitur cum ze fathata, nun quiescente, dal fathata, re quiescente, waw, et ultima dzal. Sic in Al Lobabo scriptio memoratur.

Ex fluminibus etiam est fluvius Schirinae, qui in monte Dinaris (?) in tractu Bazarendji oritur, et postquam Persidem permeavit, prope Djanabam ad Long. $75°\ 45'$ et et Lat. $28°$ cum aliqua gradus parte, in mare incidit.

Mons Dombawend in extremis limitibus ditionis Rayae situs, saepe Sawae conspicitur; nam inter montes, quibus cingitur, fornicis instar, eminet, nec mortalium aliquem, qui eum adscenderit, novimus. Ex ejus cacumine continenter fumus exsurgit. Jacet ad Long. $75\frac{1}{2}°$ et e longinquo cernitur.

Montium series est, quae incipit a Zendjane, cujus Long. est $73\frac{2}{3}°$, Lat. autem $36\frac{1}{2}°$, et se extendit versus septentrionem prope Berdaâ ad Long. $73°$ et Lat. $40\frac{1}{2}°$; dein versus eandem coeli plagam pergens usque ad Teflisum, ubi Long. est $73°$, Lat. $43°$, ab eadem versus meridiem et occidentem deflectit, et in duas partes dividitur, quarum altera, versus meridiem tendens, ad Holwanis viciniam, ad Long. $72\frac{1}{4}°$, Lat. $34°$, porrigitur, dein ortum versus inclinatur inter Karmisin et Dainowar, circa Long. $73°$. Ad hos quoque montes pertinent illi, qui inter Holwan et Dainowar inveniun-

tiuntur, atque ultimam hanc urbem, cujus Long. est 73° et Lat. 35° cingunt. Hinc montes (*supra*) memorati versus ortum usque ad Sawam procedunt, quam urbem ad Long. 75° et ad Lat. eandem (i. e. 35°) sitam, a septentrione praetereunt, postquam Hamadan etiam ab eodem latere praetergressi sunt. Horum montium alia propago est inter Hamadan et Daynawar, quae ab hujus oriente, illius vero occidente excurrens versus meridiem extenditur Hamadanemque cingit, et collem format, qui Akabah Hamadan vocatur. — Pars altera ab origine montis, nempe a monte Holwanis, versus septentrionem se extendit, et juxta partem borealem Schahrozouris usque ad Arzen, ubi Long. est 65°, Lat. 38° procedit. Hinc vero duo rami oriuntur, quorum alter inter ortum et meridiem Djezirah Ibn Omar petit, quae est ad Long. 65½° et ad Lat. 37½°. Ibi vero loci montes isti Al Djoudi vocantur. Ramus alter ad ortum Kalikalae decurrit, ubi Long. est 67° et Lat. 41°. Ex horum vero montium radicibus alius mons originem habet, inter Khalath et Salmas situs.

Mons Bisotoun mons est Regionis Montanae, vel Iracae Persicae, quem Ibn Haukal inaccessum esse refert, et cujus fastigium adscendi non potest. Ab uno latere (*inquit*) a cacumine ad radicem usque glaber est. In dorso autem est caverna, fontem aquae continens, sculptamque Chosroïs et Schirinae effigiem.

❁

EXCERPTA

EXCERPTA LIBRI, OBSERVATORIA UNDE PROSPICITURIN NOMINA LOCORUM ET PLAGARUM INSCRIPTI; QUIBUS URBIUM ET VICORUM REGIONIS MONTANAE CONTINETUR ENUMERATIO.

Abah pagus est Ispahanensis, quem alii ad Sawam referunt. Vulgo Awah appellatur. — Adiwakhan pagus est ad Nahawend pertinens, ut putat Abd-ol Kerim Samanensis. — Abhar urbs est celebris inter Kazwin, Zendjan et Hamadan in Regione Montana, quam Persae Awhar vocant. Porro Abhar est oppidum in tractibus Ispahanis. — Adoun est pagus in tractu agrorum Kaseranis exterioris, e ditione Rayensi. — Ardistan urbs est inter Kaschan et Ispahan, ab ultima hac urbe octodecim parasangas distans. — Ardahen arx est munita ad ditionem Rayae tractumque Daynawendis pertinens, inter Daynawend et Thabaristanam, tres diaetas a Raya remota. — Arzonan pagus est Ispahanensis. — Aranbouyah pertinet ad pagos Rayae. In eo sepulcrum est Kasaitae et Mohammedis ibn al Hasan Jurisconsulti. Scribitur etiam Ranbouyah. — Arwend nomen est montis amoeni, virentis et pulcri, Hamadani imminentis; cujus urbis incolae, hunc montem ceteris regionibus praeferunt et magni faciunt. — Aryouhan. Hujus vocis veram scriptionem incertam esse ait (*Yakoutus*). Masarus: Urbs, inquit, est nitida in jurisdictione Masabadanis, Holwane versus Hamadan tendenti a dextra jacens, in planitie utrimque montibus clausa, arboribus, fontibus calidis, sulphure, chalcantho et sale abundans. Aqua ejus exit ad Alsadendjin (?). — Azad Merd Abad, quod nomen Persice habitatio hominis liberi sonat, arx est munita in ditione Hamadanis. — Aznaw, sive Arbawah, arx est in tractu arundineti, ad Hamadanis ditionem pertinentis, sita. — Aznari unus e pagis Nahawendis. — Azna castellum in montibus Hamadanis. — Ozwarah urbs est in tractu Ispahanensi, in ipso limite deserti. — Asbar pagus ad portam urbis Ispahanis Djay appellatae: vocatur etiam Asbaris. — Isbid Han locus est prope Nahawend. — Ostadbaran pagus est Ispahanensis. — Ostadborad pagus pertinens ad Rayam. — Ostadkin, ut auctor refert, est pagus Ha-

62 63

Hamadanis celeberrimus. — Ostawnawend nomen est arcis in Domawende in ditione Rayensi sitae; arcibus antiquis et castellis munitis annumeratur. — Asadabad urbs est unam diaetam ab Hamadane versus Iracam distans. — Isfadjin pagus quidam in ditione Wandjaris, ubi turris ungulis ornata cernitur. Scribitur etiam Isfahin. — Asfidaban pagus est Ispahanensis. — Asfid Dest etiam est pagus Ispahanensis. — Asfid Roudabar, quod nomen tractum fluminis albi notat, secundum auctoris nostri opinionem, est vicus, sive pagus quidam Hamadanis. — Asfidan pagus est Rayae, qui alias Asfedan appellatur. — Aswaryya vel Oswaryya pagus est Ispahanensis. — Aschtar, tractus Nahawendis et Hamadanis et nomus est, quem incolae . . . . . ut proficiscantur. Decem parasangas a Nahawende distat. — Askouran pagus est Ispahanensis. — Aschkischan pagus Ispahanensis. — Ispahan. Sunt qui Aspahan scribant, idque est maxime vulgare et celebre; alii vero Ispahan pronuntiant. Urbs est magna et praeclara, inter civitatum principes et ornamenta censenda. Ispahan etiam totius regionis adjacentis nomen est. Ipsa urbs antiquitus fuit Djayya, sed dein Yehoudia vocata est, pertinetque hic tractus ad Regionem Montanam. — Alâlam vox est notans eum, qui labium fissum habet; ceterum nomen est tractus magni inter Hamadan et Zendjan in Regione Montana, quem Persae Alamr vocant. Scriptores tamen exarant Alâlam. Urbs hujus tractus est Darcazin. — Onbaba arx prope Rayam, e tractu Daynawendis. — Andan unus e pagis Ispahanis. — Andawan est pagus magnus Ispahanensis, a latere Kahabi, urbi propinquus. — Anabad pertinet ad pagos Alâlami tractus Hamadanis, non longe a Darcazine. — Awah pagus est inter Zendjan et Hamadan.

64 Ba Ayoub, contractum ex Abou Ayoub, pagus est magnus inter Karmisin et Hamadan, ad dextram Hamadanem proficiscenti; vocatur etiam hic pagus Dacan. — Bab Cousk est vicus magnus Ispahanis. — Baderan pagus est Ispahanis. — Bad est pagus Ispahanis, quem etiam ad Djorbadakan pertinere dicunt. — Barhan est unus e pagis Khanlendjanis, quae inter Ispahanis praefecturas censetur. — Bazift pagus Ispahanis. — Batharkan pagus est Ispahanis. — Banoc pagus est Rayae. — Baraan pagus Ispahanis. — Barahan arx ad ditionem Hamadanis pertinens. Dicitur etiam Faroudjan. — Albordj pagus vel tractus Ispahanis. — Borkhouar tractus Ispahanensis multos continens pagos. — Bardouar locus est Hamadanis. — Borzabadan est magnus pagus Ispahanis. — Borzamahen locus est pertinens ad castellum Schirinae in Regione Montana. — Baroudjird urbs inter Hamadan et Caradj sita. (*Antiquitus*) inter pagos censebatur, sed cum major evasisset, urbs facta est munita et omnibus bonis abundans. — Bozniroud tractus est Hamadanensis pagis frequens. — Bagdal, vox formata est ex

Bag

Bag abd-allah (i. e. *hortus Abd-allae*), vicus Ispahanis. — Baloumia unus e pagis Borkhouaris in ditione Ispahanis. — Bouzanadjird pagus est Hamadanensis, unam diaetam ab ea versus Sawam remotus. — Bahadan pagus Ispahanis. — Bihzan locus Rayae propinquus, quam urbem ibi antiquitus fuisse dicunt; sed emigrantibus incolis, urbs vastata fuit, cujus rudera adhuc supersunt. Septem parasangas a Raya distat. — Bihistan arx est celebris in tractu Kazwinensi. — Behistoun pagus est inter Hamadan et Holwan, cui alias nomen Sahianan. Ab Hamadane quatuor diaetas, et a Karmisine octo parasangas distat. In hoc pago mons est adeo altus, ut illius vertex superari nequeat; a cacumine ad radicem usque laevis apparet et quasi dolatus, quin revera per spatium multarum orgyiarum inde a terrae superficie arte laevigatus et dolatus esse videtur. In montis dorso, prope viam, locus est speluncae similis, in eoque fons aquae fluentis. Est etiam ibi effigies equi, summa, qua potuit, arte confecta, quam speciem esse dicunt Schebdizi, equi Cosroïs, [*cui Rex insideat*]. Eadem deinceps quoque memorabitur. — Baydjanain pagus est ad Nahawend pertinens. — Birouzkouh nomen est duarum arcium, quarum altera est in montibus Gaurensibus inter Herat et Gazna; altera vero prope Daynawend in ditione Rayae, imminens oppido Waymae. 65 Haec paene diruta est. — Biset pagum Rayae esse putat Abou Saâd.

Taram est tractus amplus in Regione Montana inter Kazwin et Djilan, in quo sunt multi pagi, montes, aliaque; sed nulla urbs celebris. — Towa pagus Hamadanis. — Tir Anschah urbs ex ditione Schahrazouris. — Tirah castellum egregium et munitum in tractibus Kazwinis a parte Zendjanis. — Tizan pagus est Ispahanis. — Tsaniah al Rikab. Tsaniah unam parasangam a Nahawende distat. Ibi in angustias redacti sunt equites Moslemorum.

Djawarsan est pagus vel vicus Hamadanis. — Aldjebal, plurale a singulari djabel, nomen est regionis, quae hodie Iraca Persica vocatur, et sese extendit inde ab Ispahane ad Zendjan, Kazwin, Hamadan, Daynowar, Karmisin, Rayam, adeoque complectitur quidquid urbium florentissimarum tractuumque magnorum inter haec jacet. — Djabal aliud nomen est tractuum montanorum, quorum commemoratio praecessit, et qui Iraca Persica vocantur. — Djardjanaban pagus magnus inter Sawam et Rayam. — Djarakouh. Auctor se hunc locum inter pagos Ispahanis referre ait. — Djorwaan unus e vicis Ispahanis. — Djarra tractus inter Kom et Hamadan. — Djazza pagus Ispahanis. — Djolal pagus Ispahanis. — Djalwabad pagus Hamadanis. — Djandin. Auctor: Puto, inquit, hunc esse pagum Hamadanis. — Djoubar vicus Ispahanis. —

 Djou-

Djourab pagus prope Djim in tractu montano. — Djouran pagus ad portam Hamadanis. — Djouratan pagus Ispahanis. — Djourdjir vicus Ispahanis. — Djowar pagus quidam Ispahanis. — Djouzdan pagus magnus ad portam Ispahanis. Vocatur etiam Djouzdania, quasi nomine gentilitio, et Ispahanenses eum appellant Al Wardan. — Djouzkan pagus est Hamadanis. — Al Djousek pagus est Rayae, et arx in ipsa urbe. Djousek al Khalifah prope Rayam jacet. — Djayran pagus duas parasangas ab urbe Ispahane distans. — Djayya nomen est urbis Ispahanis antiquae, hodie seorsim jacentis et desertae. Eadem nunc a Persis Schahrestana, et a traditio-
66 nariis al Medinah vocatur. Urbs Ispahan deinceps vocata fuit Yehoudia, quae a Djayya duo milliaria distat, quod intervallum dirutum est. In urbe Djayya sepulcrum est celeberrimum Raschidi ibn al Mostarsched aedificio tectum, quod a visitantibus frequentatur.

Hasanabad pagus Ispahanis. — Hamadan (nomen formae fäălân ab Hamad) dicitur esse urbs quam centum et viginti pagi cingant.

Khanahah vicus aut pagus Hamadanis. Equidem credo hoc nomen derivandum esse a xenodochio, quod alias Khangah appellatur. — Khan locus Ispahanis. Proprie vox notat aedificia inter se contigua, quae mercatores incolunt. — Kharasacan pagus Ispahanensis. — Khorramabad pagus quidam est Rayae. — Kharran vel Kharan pagus Hamadanis. — Khaschab pagus Rayae. — Khondad pagus inter Hamadan et Nahawend. — Khowar urbs magna ad ditionem Rayae pertinens, inter hanc et Samanan in ipso viae, quae in Khorasanam ducit, initio sita; transeunt per eam itinerantium catervae. Viginti parasangas a Raya distat; sed potior ejus pars diruta est. — Khourazen mons ad portam Hamadanis. — Khouzan pagus Ispahanis. — Khouzenk vicus Ispahanis. — Koumin Rayae pagus. — Khounadjan pagus Ispahanis. — Khayadan pagus pertinens ad Ispahanis urbem Schahrestan dictam. — Khiazadj pagus Kazwinis. — Khail, quod ut vocabulum, equum significans vehendo idoneum, scribitur. Est autem regio et tractus inter Rayam et Kazwin, ad Rayam pertinens, etsi Kazwini propinquior sit, quippe a qua decem parasangas distet. Multos continet pagos.

Darec pagus Ispahanis. — Daschilou pagus duodecim parasangas a Raya distans. — Dardascht vicus Ispahanis. — Darcadjin pagus Hamadanis, quem auctor haud diversum esse credit a sequenti Darkazin. — Darkazin dicitur esse oppidum in tractu Alâlami, nempe e ditione Hamadanis, inter hanc urbem et Zendjan, magnum, incolis

lis frequens, quarumvis rerum ingratarum immune. — Diza censetur inter celeberrimos pagos Rayae, et urbi similis est. — Dastabi tractus est magnus, Rayae et Hamadani communis, nam dividitur in duos nomos. Horum alter Hamadanensis, solus ad hanc urbem pertinens, nonaginta fere pagos continet, quorum unus Dastabi Hamadanis vocatur. — Dastadjird. Ispahane multi pagi memorantur, quorum singuli nomen Dastadjird gerunt; est etiam hujus nominis pagus prope Nahawend. — Al Dascht pagus Ispahanis. — Daschtec dicitur esse pagus Ispahanis; sed falso, nam alii se hujus nominis pagum Ispahanensem non cognoscere perhibent. — Al Dakan pagus prope Hamadan. — Dolendjan oppidum in tractu Ispahanensi, etiam Dolabkan dictum. — Domawend, (varietas lectionis pro Daynawend), nomen montis et tractus prope Rayam. — Dombawend mons in tractu Rayae, in Domawende supra jam memoratus. — Douryast Rayae pagus. — Dawlab, sive, ut plerumque traditur, Doulab, est pagus Rayae. — Dawnak pagus Nahawendis, hortis dives; et duo milliaria a Nahawende distans. — Doun pagus in ditione Daynowaris. — Dounah pagus Nahawendis. Est etiam pagus Hamadanis, inter hanc et Daynowar situs, et decem parasangas a priori illa urbe distans. — Daylomistan pagus prope Schahrazour, et octo tantum parasangas ab ea remotus. Daylomitae, tempore Persarum, ibi castra habere solebant. — Daymartian, teste auctore, est pagus Ispahanis. — Dimaut vel Daymaut tractus Ispahanensis. — Dinar platea Rayae. — Daynowar urbs in ditione Regionis Montanae, prope Karmisin, quae ab Hamadane plus quam viginti parasangas abest; et fructibus arvisque abundat.

Raschatitan pagus Ispahanis. — Ram Ardeschir dicitur esse urbs Noachi, inter Ispahan et Khouzistanam in montibus sita. — Ramasin. Auctor: Puto, inquit, hunc esse pagum Hamadanis. — Rames oppidum septem parasangas ab Hamadane distans. — Rayan pertinet ad pagos Alâlam e tractu Hamadanis. — Robadh Ispahan dicitur etiam Robadh al Medina. — Rozmabad pagus Ispahanis. — Rostamabad tractus Kazwinensis. — Rostamkenwaih munitissimum castellum in ditione Kazwinis. — Ranbouya pagus prope Rayam, ubi mortui sunt Kesaya et Mohammed ibn al Hasan. — Roudabar nomen est multorum locorum, inter alia etiam tractus cujusdam Ispahanis, qui multos continet pagos. — Rouddest, sive ut etiam vocatur, Roundest vel Rourdest, pagus est Ispahane. — Roudrawar, pagus prope Nahawend in ditione Regionis Montanae, tres parasangas longus, hortis consertis fluviisque currentibus dives. Ibi est Korkh, Korkh Roudrawar dictus. Est urbs parva, sed munita, cujus domus luto constant. In ea crescit crocus qui ad alias regiones defertur. A Nahawende, uti et ab Hamadane, quibus media inter-

terjacet, septem parasangas distat. — Roudah, vicus Rayae, et quidam ejus pagorum esse dicitur. — Rowaydascht, pagus quidam Ispahanis. Idem est ac Rouddest, cujus mentio praecessit. — Raya est urbs celebris, inter matres urbium illustrissimum occupans locum et referta bonis, caput Regionis Montanae. Ad viam jacet, qua itineratores proficiscuntur. Isthakharius: Multo, inquit, major fuit Ispahane; cum vero ejus incolae, pugnis inter varias factiones obortis, deleti essent, aliis urbibus similis facta est. Deus hanc rem optime dijudicare potest.

Zadakan, pagus e tractu Hamadanis. — Zazahan, pagus vel vicus Ispahanis. — Zobeidia, pagus in Regione Montana inter Karmisin et Bordj al Kalaat. — Zarend, oppidum inter Ispahan et Sawam. — Zaranroud nomen est fluvii Ispahanis. Fluvius hic propter aquae dulcedinem et salubritatem celeber oritur in pago Salcan dicto. In eum multi amnes decurrunt, quorum aquis auctus versus Ispahan defluit, hujusque urbis hortos et pagos rigat, quin ipsam permeat. Dein arenis absorptus, in Kermana, ad distantiam sexaginta parasangarum, rursus prodit; tandem vero in mare Indicum se exonerat. — Alzaz, tractus Hamadanis celeber, qui dicitur tractus Lalasal (?) inter Ispahan et montes Al Lor in ditione Ispahanis. — Al Zafarania pagus unam diaetam ab Hamadane dissitus. — Zalam, mons prope Schahrazour, in quo crescit baccae genus . . . . . morbis curandis utile. — Zendjan, oppidum magnum et celebre, in Regione Montana, prope Abhar et Kazwin, quod Persae Zancan vocant. — Zenderoud, fluvius celeber prope Ispahan, cujus commemoratio praecessit. — Zowil, vicus Hamadanis.

Saman, unus e vicis Ispahanis. — Samin, pagus quidam Hamadanis. — Sawah urbs est pulcra inter Rayam et Hamadan sita, alii oppido, Awah dicto, propinqua, quippe a quo duas fere parasangas distat. Sed Sawenses sunt Sunnitae et quidem Schafeitae, at (*Awenses*) Imamici. — Sidjas, regio inter Hamadan et Abhar. — Al Sod, pagus Rayae valde magnus, duas parasangas ab ea distans. — Sarah pagus est ad portam Nahawendis. — Sarabith, pagus vel urbs (*Iracae*) Persicae. — Sarasakher coemeterium Hamadanis, in quo multi viri docti et probi (*sepulti sunt*). — Serban vicus est Rayae, sive platea major, quae totius urbis dimidium occupat (?) et ob insignem pulcritudinem laudatur. Vicum medium dirimit fluvius, in cujus utraque ripa multae sunt arbores consertae et continuae. In mediis intervallis fora celebrantur maximopere frequentata. — Sardjahan arx est munita ad latus montium Daylomiticorum sita. In terra plana Kazwinis et Zendjanis exsurgit et firmissimis castellis annumeratur. — Sarkhabad est pagus Ra-

Rayae celeber. — Sardadoud pagus est Hamadanis. — Al Sorra tractus quidam est Rayae, multis pagis dives. — Sirkan pertinet ad Hamadanis pagos. — Sarmadj castellum est munitum inter Hamadan et Khouzistanam in Regione Montana. — Serendin pagus in regione Iracae Persicae. — Sornou, pagus Asadabadis. — Saridjan, dualis a Saridj, pagus Ispahanensis. — Sakran, locus in (*Iraca*) Persica. — Salm est vicus Ispahanis, a quo quaedam portarum illius nomen habet. — Salmayabad vicus vel pagus tractus Nahawendis. — Somairam, oppidum inter Ispahan et Schiraz, ab utraque aeque distans, in ultimis Ispahanis limitibus situm. — Sonbilan, dualis a Sonbil, vicus Ispahane. — Sindjabad, pagus Hamadanis, cujus antea vicus fuit; sed, quae inter duo haec loca interjacent, dirutis, jam duas parasangas ab Hamadane distat. — Sindjabaad idem locus est ac praecedens. — Sendj, pagus est Sendj Ispahane. — Sandeh, arx munita in Hamadanis montibus. — Souderan, pagus Ispahanensis. — Soudardjan, pagus Ispahanensis. — Sourin fluvius est Rayae, quem cives odio habent et vitant, mali eum ominis esse putantes, quoniam, ut ajunt, gladius, quo Yahya ibn Zeid ibn Ali ibn al Hasan ibn Ali ibn Abou Thaleb interfectus est, in eo lavatus fuit. — Saher, pagus magnus Ispahanis. — Sohraward, oppidum prope Zendjan in Regione Montana. — Siah Kouh, quod in Persica lingua mons niger significat, — longa est montium series inter Rayam et Ispahan, usque ad Regionem Montanam sese extendens (?). — Sayda Bad, castellum et pagus Rayae. Utrumque Sayda (*sive Domina*) mater Madjed-eddaulae ibn Fakhr-eddaulah ibn Bouyah condidit. — Sirawend, ut puto, (sic ait) pagus est Hamadanis. — Sirouan, oppidum in Regione Montana; — nec non locus quidam Rayae propinquus. — Sisar; oppidum Hamadani contiguum, inter hanc urbem et Adzerbeydjanam situm. Ibi fontes sunt innumeri. — Sinirain, vocabulum formae Dualis, vicus quidam est Rayae. — 70 Sin, nomen literae, pagus quatuor parasangas ab Ispahane distans.

Schasch, pagus Rayae. — Schah Diz castellum munitum in monte Ispahanis. — Schibdaz, vel Schebdiz, statio est inter Holwan et Karmisin, in radice montis Behistounis, quae a nomine equi Chosroïs Schebdiz vocatur. Cujus animalis imago unam parasangam ab urbe Karmisin distat. Hic vir equo ex lapide sculpto insidet, et lorica est indutus, a ferro vix distinguenda (?) in qua annuli et claviculi annullis inserti apparent. Qui imaginem vident, eam vita et motu praeditam esse credunt. Haec autem effigies est Aberwizi equo suo Schebdizo insidentis, quacum nulla in orbe terrarum imago comparari potest. Porro in fornice, in quo haec cernuntur, plura alia simulacra tam virorum quam foeminarum conspiciuntur, tam equitum quam pe-

peditum. In fronte exsculptus est vir, operanti similis, in capite pileum gerens, medio corpore succinctus et manu palam tenens, qua terram effodere videtur; ante cujus viri pedes aqua prorumpere videtur. — Scharra, tractus magnus ad Hamadan pertinens. — Scharmak, arx imminens pago Aboti Ayoubi prope Nahawend. — Scherouz, arx munita inter Kazwin montesque Al Thorm. — Schaâran — dicitur esse mons — in tractu Schahrazouris. — Schamikan, vicus Ispahane. — Schanest, pagus Rayae celeber et magnus, urbis instar. — Schahrazour, tractus amplus in Regione Montana inter Irbil et Hamadan, cujus incolae omnes Curdi sunt. Urbs, quae in terra patenti jacet, muro cingitur altitudine octo cubitorum, et propinqua est monti Saâran dicto, item alii, qui aut Zelm aut Amr al ârdh appellatur. Distat a Khanekine . . . . — Schahrestan — (*eadem est ac*) urbs Djayya Ispahanis. Ab urbe majori, cui Yehoudiae nomen, unius milliaris intervallo dirimitur. Tria gerit nomina, Medinae, Djayyae, et Schahrestanis. — Schaikh, proprie oppositum τῷ Schaab (*juvenis*), urbs quaedam Ispahanensis. — Schirin, Persice significat dulcis. Kasr Schirin castellum est prope Karmisin inter Holwan et Hamadan.

Saymarah — oppidum inter tractus Regionis Montanae et Khouzistanae situm prope Meherdjan Kadf.

Thab — fluvius maximus Persidis, in Ispahanis montibus prope Al Bordj ortum habens, donec cum fluvio Mesno jungitur. Hoc flumen oritur in confiniis Ispahanis 71 et apparet in tractu Al Sarden dicto, prope pagum Mesn. Dein transit juxta portam Ardjanis sub ponte Katan (qui est pons Persidis et Khouzistanae), donec juxta Nahr Bir in mare se exonerat. — Thadz, pagus Ispahanensis. — Thasabendi, pagus ad Hamadan pertinens. — Thalekan, tractus et oppidum inter Kazwin et Abhar, multos pagos continens. — Thamadah, pagus in Ispahanis ditione. — Thabark, arx in cacumine montis urbi Rayae propinqui, quam in Khorasanam proficiscentes ad dextram habent; jacet ad sinistrum latus montis Rayae maximi: sed una cum Raya a Sultano Thogrulo est diruta. — Tharcal locus est, inter quem et Saymaram Regionis Montanae pons exstructus est mirandus, ponti Holwanis similis. — Tharik — pagus e ditione Ispahanis prope Nathanz, magnitudine urbi aequiparandus, viginti ab Ispahane parasangas distans. — Tharm tractus magnus in Regione Montana, Kazwini imminens, ad latus Regionis Daylomiticae situs. Haec regio pagos agrosque continet montanos et herbosos, et aqua villisque dives est. — Thafrabad, vicus Hamadanis. — Thourin, pagus ad Rayam pertinens. — Thihran, pagus unam circiter parasangam a Raya re-

remotus, quem sub terra aedificatum esse narrant, ita ut nemo, nisi volentibus incolis, ad eos accedere possit. — Thayfourabad, pagus Ispahanensis.

Orfah, Kazwinis (*locus est*). — Akbah Al Rakayeb prope Nahawend jacet.

Ganamabad, arx in Regione Montana, in tractu Nahawendis sita. — Algawarah, pagus in quo palmae et fluvii inveniuntur, ad latus Thiranis situs.

Fabidjan, pagus quidam Ispahanensis. — Fabizan (*itidem est*) pagus ad Ispahan pertinens. — Fadidjan, pagus ex Ispahanis ditione. — Farisdjin, sive etiam, ut saepe scribitur, Farisin, pertinet ad ditionem Kazwinis, minime vero ad illam Hamadanis. Duas diaetas a Kazwine, unam ab Abhare, octo vero ab Hamadane distat. Annumeratur tractui magno, qui Alâlam dicitur. — Farifan, pagus Ispahanis. — Fathamabad, pagus Hamadanis, in quo hujus urbis templum majus conditum fuisse ferunt. Hodie autem constat arvis et vineis. — Fakhrabad nomen arcis antiquae Rayae, quam condere instituit Fakhr-eddaulah ibn Bouyah, a quo etiam nomen tulit. — Farrab, pagus Ardestanis in tractibus Ispahanis. — Farasan, tractus Hamadanis. — Fardadjan arx celebris in Hamadanis tractu Djarra dicto. Vocatur etiam Bardahan. — Firdous — arx ditionis Kazwinis celebris. — Farrazad — tractus Rayae. — Farrazin — nomen est arcis ante portam urbis Karradj inter Hamadan et Ispahan sitae. — Firsan. — Firsan pagus Ispahanis. — Fark, sive ut alii volunt, Farak, pagus est Ispahanis. — Farhan, sive secundum alios, Farahan, salina est in Hamadanis agro. Nempe lacus exstat quatuor parasangas longe lateque patens, in quem aquae pagorum superfluae decurrunt, et in sal convertuntur, quod ad alias regiones defertur. — Farizhend, pagus Ispahanensis e tractu Mimae. — Fosaran, pagus etiam ad Ispahan pertinens. — Filfilan, pagus in ditione Ispahanis. — Foudan, pagus Ispahanis. — Fourard, pagus Rayae. — Fouran, pagus est Hamadani vicinus, qui unam stationem distat a via quae Ispahanem ducit. — Fouradjerd, pagus Hamadanis. — Fahramad, pagus Rayae, in quo proelium accidit inter Al Mostaïni copias et Hasani ibn Zeid Alidae. — Al Fahindadjan, pagus Hamadanensis. — Firoudan, pagus Ispahanensis e tractu Alhan. Amoenitate et aëris bonitate prae aliis excellit. — Firoudram, pagus Rayae. — Fin, vicus Kaschanis e tractu Ispahanensi.

72

Kasan, tractus est Ispahanis. — Kaschan urbs est Ispahani propinqua, quae fere una cum Kom memorari solet. Hinc ortus Al Azair Kaschanensis. Ejus incolae

 omnes

omnes sunt Schiitae Imamici. Inter Kom et Kaschan duodecim sunt parasangae, inter Kaschan vero et Ispahan tres diaetae. — Al Kakezan, pylae montanae in tractu Kazwinis, ubi vehemens ventus spirare solet. — Karmisin, urbs celebris prope Kerman Schahan et Dainowar inter Hamadan et Holwan. Jacet in via regia quae in Iracam ducit, et castellum Schirinae continet, nec non fornicem, in quo delineatae sunt imagines Schebdizi equi Aberwizi, et Schirinae ejus amasiae. — Kazwinek, in lingua Per-
73 sica diminutivi forma a Kazwin, pertinet ad pagos Dainowaris. — Kazwin, urbs est celebris, duodecim parasangas ab Abhare dissita et monte a Daylomitide segregata. — Kosthaneh sive Kisthaneh pagus, inter quem et Rayam in via Sawae diversorium est, quod Bostaneh vocatur. — Kaseran plurale Persicum vocis Kasr. Duo hujus nominis loca sunt, Kaseran interius et Kaseran exterius, duo nempe tractus magni in Rayae montibus siti. Sunt muniti et ipsis Rayae principibus, nedum aliis (*inferioris ordinis*) inexpugnabiles. — Kasr (*sive castellum*) Bahram Djouris, unius ex regibus Persidis, jacet prope Hamadan in vico Khouhesteh dicto. Constat uno saxo excavato, estque valde magnum, et cubiculis cellisque refertum. — Kasr Djabar, urbs est inter Rayam et Kazwin in tractu Dastabi. — Kasr Schirinae, (quod nomen fuit amasiae Chosrois Aberwizi), locus est prope Karmisin inter Hamadan et Holwan situs. In eo ingentia et alta inveniuntur aedificia, quae magnis porticibus inter se conjunctis, cellis, palatiis, fornicibus, palaestris et locis amoenis constant. Cubiculorum magnitudo potentiam munificentiamque (*conditoris*) ostendit. Unum ex mundi miraculis illud esse ferunt. Imago Schirinae ibi etiam ex lapide formata conspicitur. — Kasr Kankiwar oppidum est inter Hamadan et Karmisin. Idem est ac Kasr al Losous (*sive castellum latronum*), et septem parasangas ab Asadabade distat. — Kasr al Losous jam supra memoratum est. Illud sic vocari ferunt, quoniam copiarum Moslemicarum ibi castra metantium jumenta furto amissa sunt. — Kalous pagus est, decem parasangas a Raya distans. — Kom, quae una cum Kaschane commemorari solet, urbs est Islamitica, nulla veterum Persarum vestigia continens. In ea sunt putei, reliquis per orbem terrarum omnibus (*aquae*) dulcedine et frigore praestantiores. Ejus domus ex lateribus coctis confectae sunt, et cellae nivariae sunt egregiae. Inter hanc urbem et Rayam desertum salsuginosum interjacet, in quo sunt xenodochia et speculae. Inter Ispahan et Sawam sita est, ejusque incolae omnes Schiitae Imamici sunt. Inter Kom et Sawam duodecim parasangae sunt, totidemque inter Kom et Kaschan. — Kanadir, vicus Ispahanis. — Kanathir locus in tractu Ispahanensi, qui utrum vicus an pagus sit, se ignorare fatetur auctor. — Kanathir Hodaifah — dicitur in tractu Dainowaris situm esse. — Kantharah (*sive pons*) Har Zad nomen suum accepit ab Har Zada

ma-

matre Ardeschiris, quae duos pontes exstruxit, alterum in Ahwazo, alterum Idadje. Hic inter mundi miracula relatus, inter Idadj et Robath jacet et fluvium jungit, aqua carentem, nisi pluviae per longum tempus ceciderint: tum enim fluctibus intumescit, et per terrae superficiem mille cubitos latitudine, centum vero et quinquaginta profunditate superat; quamvis torrentis quieti (*nec imbribus aucti*) infima latitudo vix ad decem cubitos pervenit. Pontem autem hac ratione condi curavit (*Har Zadeh*), ut ab ea parte, qua humo exsurgit, usque ad partem oppositam, ubi iterum in terram descendit, lapides plumbo et ferro inter se conjungerentur, et quo altius tenderet substructio, eo fieret angustior. Intervallum autem inter pontem et latera torrentis ferri scoriis fuso plumbo in unam massam compactis implevit, usque ad quadraginta cubitorum a terra altitudinem, ita ut pons, quamvis terra nixus, quasi suspensus esse videretur in illis plumbi indurati massis, cum aeris ramentis mixti, quae inter pontis et alvei latera intercedunt. Pons hic uno tantum arcu constat, et mirabili firmaque structura est insignis. Eum deinceps cum vir quidam diruisset, nemini illius restituendi copia fuit, unde multum incommodi viatoribus ortum est. At diu post Mohammed ibn Ahmed Al Ammi, vulgo Al Scheikh dictus, Vezirus Ibn Bouyae, pontis partem 74 dirutam reparavit, etsi in arcu restituendo complures annos consumserit. Ad hoc autem opus perficiendum sumtus necessarios, excepta etiam mercede operarum, quarum pleraeque ex vicis inter Idadj et Ispahan sitis ad laborem invitae adigebantur, trecenta et quinquaginta millia aureorum fuisse ferunt. — Kantharat Al Noöman, (qui Noöman Ibn al Mondar rex Arabum fuit) pons Karmisini propinquus est, apud quem alii castra posuisse Al Noöman ibn Mekrad ab eoque nomen ponti adhaesisse narrant. Est autem pons ingens et firmus. — Koumasan, tractus Hamadanis inter hanc urbem et Zendjan situs. — Koumaseh, pagus Ispahanensis. — Kouhad nomen est duorum pagorum magnorum, qui unam diaetam ab urbe Raya distant. Kouhed Superior (*vocatur*) Kouhed al Ma i. e. aquae, inferior vero Kouhed Kharran i. e. asinorum. — Kiha, pagus magnus inter Rayam et Kazwin. — Kahab tractus est multos vicos continens in ditione Ispahanis. — Kahadj pagus est in tractu Alâlam ad Hamadan pertinente. — Kahkour in Masendane situs pertinet ad Regionem Montanam.

Cadj, pagus quidam Ispahanensis. — Car etiam pagus est Ispahanis. — Carran — Carran est urbs celebris in ditione Ispahanis. — Caradj ab incolis suis Carah dictus, pertinet ad pagos qui Faik Arab vocantur, ... ex altero duorum pagorum Ispahanensium. Caradj Walan pagus est Rayae. Porro Caradj etiam est pagus permagnus in tractu Roudrawaris prope Hamadan, in Regione Montana inter Hamadan

 et

et Nahawend ad septem parasangarum ab utraque urbe distantiam situs. Hic est Caradj Abou Dolafi, quippe qui istum pagum condidit et in eo habitavit. Constat autem castellis amplis et separatis. Nullas vero urbes, nullos hortos, nulla loca amoena possidet. — Carsacan, pagus Ispahanis. — Corcan, sive ut Arabes dicunt, Djordjan — pagus est prope Karmisin. — Carcasouh, mons est in deserto Carcas dicto jacens, in confiniis Rayae, Komis et Kaschanis, qui non nisi a latronibus incolitur. Hujus montis circuitus est duarum parasangarum, et deserto cingitur. Illius tractus saltuosi aquae defectu laborant. Mons hic adscensu difficillimus locum quendam continet areae similem, in quo invenitur aqua Ab Bendeh (*sive aqua conclusa*) appellata. Locus iste scilicet ita montibus clauditur, ut undique septo te cinctum existimes. — Corouh vocatur saltus quidam in monte Arwend Hamadanis. — Casscha, pagus Ispahanis. — Calahid, pagus Zendjanis. — Calman, pagus ad portam urbis Djay Ispahanis. — Calwad locus in regione Hamadanis. — Candadj, pagus Ispahanensis. — Condar — pagus Kazwini vicinus. — Candelan, pagus Ispahanis. — Kinkawar oppidum inter Hamadan et Karmisin in quo est mirandum castellum Kasr al Losous dictum. — Canna, pagus Kaseranis. — Coubanad, pagus Ispahanis. — Cour 75 Schabneh locus in tractu Hamadanis, ubi proelium commissum fuit inter Barkyarokum ejusque fratrem Mohammedem filios Djelal-eddaulae Malekschah. — Coumalad pagus Hamadanis, ut putat auctor. — Caischab pagus inter Rayam et Khowar Rayae situs.

Laschir tractus est prope Nahawend, decem parasangas ab eo distans. — Lamidjan, pagus septem parasangas ab Hamadane remotus. — Lonban, pagus magnus Ispahane, a quo una hujus urbis portarum nomen suum traxit. — Loubiabad compositum ex nomine baccam notante et Bad, vicus Ispahanensis.

Maderoustan locus est in via quae in Khorasanam ducit situs, duas diaetas ab Holwane distans versus Hamadan, unam vero a Mardj al Kalat. Ibi magna est porticus et reliquiae horti diruti. Dicunt nivem non nisi in eam hujus loci partem cadere, quae Regionem Montanam spectat, numquam vero in illam quae in Iracam vergit. — Madanakt pertinet ad pagos . . . . . Hamadanis. — Marabanan, pagus dimidium parasangae ab Ispahane dissitus. — Maschtikin, pagus Kazwinis. — Al Mamouniah — pagus est inter Rayam et Sawam, qui Mamouniah vocatur et . . . . inter Rayam et Sawam. — Manedkan pertinet ad pagos Ispahanis. — Mawaschan, tractus pagos continens, in valle ad radicem montis Arwend Hamadanensis. Locus pulcer est et animo recreando idoneus. — Mahan dualis est a singulari Mah. Hoc nomine signi-

fi-

ficantur Daynowar et Nahawend. — Mah al Basrah. Mah notat caput provinciae. Vocantur autem hac ratione Nahawend, Hamadan et Kom, quoniam Basrenses has urbes expugnarunt. — Mah Dinar. Ita urbs Nahawend vocatur, quoniam Hodayfah ibn Al Yeman, dum eam obsidione premeret, virum quendam, cui nomen Dinar, bello ceperat, qui se ad Emirum deduci jussit, ut cum ipso de urbe tradenda et tributo persolvendo ageret, quo facto cum inter Hodayfam et istum de pace convenisset, urbs Nahawend Mah Dinar dicta fuit. Fertur etiam Mah Dinar nomen esse pagi Daynowaris. — Mah al Koufah nomen est Daynowaris, ideo ipsi impositum, quoniam Koufenses hanc urbem expugnarunt, ita ut in ipsorum jus et potestatem cesserit. — Madjadabad (*pagus*) Hamadanis. — Al Mohammediah — Al Mohammediah in Rayae ditione jacet; vulgo castellum esse dicitur; sed revera vicus est. — Mokhateran vicus Hamadane. — Medinah (*sive urbs*) Ispahanis, (*olim*) vocabatur Djay, hodie autem Schahrestan. Condita est ad ripam fluvii Zendroudis, et ab urbe Ispahanis hodierna Yehoudia unius fere milliaris spatium distat. Nunc autem diruta est. — Medinah Djaber, sive, ut etiam vocatur, Kasr Djaber, jacet inter Rayam et Kazwin in tractu Al Dastabi. — Medinah Al Mobarek in Kazwinis ditione, quam primus condidit Mobarek Turca. — Medinah Mousa etiam in Kazwinis ditione, quam condidit Mousa Al Hadi durante vita patris sui Al Mohdi. — Mardjaneh jacet ad radicem montis Arwend. — Mardjabi, tractus inter Rayam et Kazwin vicis dives, magnus et cultus. In eo invenitur arx munita, quam incolae Markabounam vocant. — Al Mer 76 dakam, oppidum notum in tractu Rayae. — Moschtaleh, pagus Ispahanis. — Moschkan, pagus in tractu Roudrawaris e ditione Hamadanis in Regione Montana. — Moschkadin, pagus Rayae. — Moschkounah oppidum ditionis Rayae, duas ab ea diaetas dissitum, in via quae Sawam ducit. — Maslahkan, vicus Rayae. — Mathbakh (*i. e. culina*) Kesra aedificium est magnum, nullis aliis cinctum et quatuor parasangarum intervallo a Kasr Al Losous remotum. — Malah — Kasr al Malah haud integram parasangam a Khowar Rayae distat. — Molkabad, vicus Ispahanis. — Milandjah, vicus Ispahanis. — Minarat Al Hawafir (*sive turris ungularum*) turris est alta in ditionis Hamadanis tractu Wandjar dicto in pago Isfidjin, quam condidit Rex Schabour ex lapidibus et calce, cuique ungulas ferarum clavis ferreis affixit. Ejus longitudo est quinquaginta ulnarum. Traditio hac de re celebris est. — Mandjan, pagus Ispahanensis. — Mousayabad, pagus a Mousa quodam ditionis Hamadanis viro cognominatus. — Mawnah, pagus Hamadanis. — Mahabad, pagus celeber inter Kom et Ispahan. — Mihrbaran, pagus Ispahanensis. — Mihrdjankadak; tria sunt vocabula conjuncta, quorum duo priora notant *amor* et *animus*, ultimum vero auctor viri nomen esse credit.

dit. Itaque significant Amor animi Kadaki. Tractus est pulcer et amplus, urbibus et pagis dives prope Saymaram in tractibus montanis ad dextram proficiscentis ex Holwane Iracae ad Hamadan in Regione Montana. — Mihr Kan, pagus Rayae. — Mihrouban — tractus Hamadanis multos pagos continens. — Mibod oppidum in tractu Ispahanis, ubi munitum invenitur castellum. — Meydan — vicus Ispahane, Meydan Asferis, et vicus Al Meydan dictus. — Mirouh, pagus Ispahanis. — Misabad oppidum in tractu Daynawendis, bonis quibusvis et arboribus refertum.

Naous Al Thabiat locus prope Hamadan. — Nayendj oppidum in tractu Ispahanensi, in ora deserti triginta parasangas ab Ispahane distans. — Nayen, pagus Ispahanis. — Nakhan, pagus ad portam Ispahanis, quae etiam Djaya vocatur, et sive ipsi propinquus, sive ejus vicus est. — Narmak, sive ut incolae dicunt Narmah, pagus est Rayae. — Al Nosair diminutivum a Nasr — Arx Alnosair jacet inter Mardj et Nahawend. Expugnata fuit a Nosairo ibn . . . . . a quo etiam nomen suum accepit. — Neschour, pagus Daynowaris. — Nasrabad. — Ispahane hujus nominis locum inveniri ajunt, atque etiam esse vicum Rayae. — Nathanzah, oppidum in ditione Ispahanis situm et decem parasangarum intervallo ab ipsa urbe remotum. — Noubahar, locus prope Rayam. — Nahawend urbs est magna ab austro Hamadanis, triduumque ab ea distat. Hujus urbis nomen primitus fuisse dicunt Nouh Awend, dein autem illud Arabum more mutatum esse. Est antiquissimum oppidum Regionis Montanae, et Mah al Basrah nuncupatur, quoniam in Basrensium partes cessit, quemadmodum, ob similem causam, Daynowar Mah al Coufah appellatur. Quod vero ad montem attinet urbi vicinum, ejus aqua in duas partes dividitur, quarum altera Nahawend petit; altera vero occidentem versus procedit, et pagum Alaschter dictum irrigat. Ibi pulcra inveniuntur Persarum monumenta, nam in media urbe est castellum mirandae structurae et ingentis altitudinis. Ibique etiam sepulcra complurium martyrum Moslemorum reperiuntur. Crescit quoque eo loco calamus aromaticus, qui quoad Nahawende aut in quodam ejus regionis tractu permanet, ligno vulgari minime praestat, et caret odore; sed quando inde aufertur, vix ultra collem vicinum ablatus est, cum odorem suum spargit. Calamus iste crescit in quodam ejus tractuum arundineto, quo via multis collibus obsessa ducit. Quando autem calamus adolevit, illum exarescere sinunt, dein juxta nodos vel articulos resecant, secundum nodorum singulorum magnitudinem et in saccis coacervant et auferunt. Quod si illam transferas arundinem per colles illius loci, qui Khosrou Nehafet et Kils Hasmeh appellantur, odorifera erit et Kamhat vocabitur. At si alia auferas via, non desinunt furfures inde separari, ...

nec

nec internodia et articuli indurescere, nec ulli rei, nisi igni alendo, idonea est. In ripa autem fluvii hujus urbis invenitur lutum nigrum sigillarium, quod ex omni luti genere optimum est et intensissimae nigredinis et tenacitatis. Hoc lutum, ut incolae hujus regionis narrant, cancri ex fluvii fundo extrahunt, et in ejus ripas ejiciunt. Quoties autem in fluminis fundo foderunt, illius luti tamen nihil amplius invenerunt quam quod a cancris extractum esset. Ceterum inter Nahawend et Hamadan intervallum est decem parasangarum, et Roudrawar ab utraque urbe pari intervallo distat. — Niastar, arx inter Kaschan et Kom. — Niraman, pagus Hamadanis in Regione Montana.

Wadj Roud, locus inter Hamadan et Kazwin. — Wadar, pagus Ispahanensis. — Wadinan etiam pagus ad Ispahan pertinens. — Walis itidem pagus Ispahanis. — Wadalan, pagus Ispahanensis. — Wadenkabad, pagus Ispahanis. — Waram, oppidum prope Rayam, cujus incolae sunt Schiitae. — Waramin, oppidum in tractu Rayae in via proficiscentis ad Ispahan. — Wardaneh, pagus Ispahanis. — Waraznin unus ex celeberrimis Rayae pagis, urbi similis. — Warkan, vicus Ispahanis. — Wareh, oppidum in 78 tractu Thalekanis. — Wazwen, ut auctor putat, ad pagos Ispahanis pertinet. — Waskend, pagus Rayae. — Walastedjird, pagus in ditione Hamadanis, ubi mille fontes esse feruntur, qui in unum amnem confluunt. — Walasdjird — urbs inter Hamadan et Kerman Schahan. — Walaydabad, pagus Hamadanis. — Wandjar tractus ditionis Hamadanensis in quo est turris ferarum ungulis ornata. — Wandad, pagus Rayae. — Wanna, pagus Rayae. — Wahan Robad; ita vocatur arx Somairamis, quae pertinet ad Ispahanis ditionem. — Wahban tractus Al Farahi in ditione Rayensi. — Wahrandazan, pagus magnus ad portam urbis Rayae situs, quo reges iter suscepturi primum excurrebant. — Waydabad, vicus magnus Ispahane. — Wayd, pagus Ispahane. — Waymah, oppidum in montibus inter Rayam et Thabarestanam situm, e regione arcis munitae Birouz Kouh dictae, e ditione Daynawendis in mediis montibus, sed plane desertum. Juxta illud sunt fontes manantes.

Hersîr, pagus inter Rayam et Kazwin, etiam Medinah ibn Djaber dictus. — Herkam tractus quidam Al Thermi inter Kazwin et Daylomitidem. — Hisandjan, pagus Rayae. — Houlam, pagus Rayae. — Hoftan, pagus Ispahanis. — Hamadan, urbs Regionis Montanae, omnes ceteras urbes aquae dulcedine et aëris salubritate superans. Est etiam omnium maxima, nam quatuor parasangas longitudine totidemque latitudine, ut ferunt, occupavit. Hanc urbem diruit Nebucadnesarus, atque ab eo inde tempore

in

in eodem statu mansit, donec eam iterum excoluit Dara ibn Dara. Hic enim urbem munivit, eoque gazas suas transtulit. Nec ab eo inde tempore regum sedes et virorum religione et ingenio praestantium locus natalis esse desiit. At hyeme frigus ibi regnat vehementissimum, multis carminibus celebratum, variisque libris proditum (?) Vel sic tamen vernis floribus herbisque odoriferis abundat. Solum crocum profert, et inveniuntur praeterea ibi loci genera quaedam thuris, qualia nuspiam terrarum. Continet viginti quatuor pagorum ditiones, quas omnes enumerare longum sit. — Haytamabad, pagus Hamadanis. — Haysam, pagus Ispahanis.

Yerem, pagus Ispahanis. — Yazdabad, pagus Rayae in via Abharis, pertinens ad agrum Dastebensem. — Yawan, pagus ad portam urbis Ispahanis. — Youbarat etiam pagus ad portam Ispahanis. — Yahoudia — locus Ispahane.

✿

APPENDIX

APPENDIX VARIAS CONTINENS NARRATIONES IRACAM PERSICAM SPECTANTES, TAM EX ANTIQUIS AUCTORIBUS, QUAM EX RECENTIORIBUS, IBN YOUNESO, KAZWINENSI, IBN AYASO ET MOHAMMEDE IBN ABOU THALEB, DESCRIPTAS.

Longitudines et Latitudines nonnullarum urbium Regionis Montanae, quae sequuntur, descriptae sunt ex Ibn Younesi Aegyptii Hakemitae libro, Tabulae Astronomicae magnae appellato.

Nahawend.	Long. 72°	Lat. 36°
Hamadan.	Long. 73°	Lat. 36°
Kom.	Long. 75° 55′	Lat. 35° 5′
Raya.	Long. 75° 20′	Lat. 35° 45′
Schahrozour.	Long. 70° 20′	Lat. 36° 45′
Kazwin.	Long. 75°	Lat. 36°
Dobawend.	Long. 76° 30′	Lat. 36° 55′
Ispahan.	Long. 74° 40′	Lat. 34° 30′

E libro Zacaryae ibn Mohammed Kazwinensis, Mirabilia Creaturarum inscripto.

Mons Al Tor, tres parasangas a Kazwine distans, est altissimus, ita ut ejus cacumen nec aestate nec hyeme nive liberetur. In eo est templum a religiosis frequentatum; hominesque illud vulgo petunt, ut benedictionem divinam ibi experiantur. In illius montis nive oritur vermis alba, quam ubi pungas, aut si quid ad eam pro-

pe accedat, emittit aquae albae foetentis tantum, quantum jumento potando sufficeret. Hanc autem vermem nonnulli inter animalia minime referunt.

80 Mons Domawend. — In hoc monte Soleiman filius Davidis, c. d. b. v. ligasse dicitur daemonem rebellem Sakharum; et rex Afridounus Boyourasafum, qui alias Al Dhohak appellatur. — Retulit Mohammed ibn Ibrahim Emirum Mousam ibn Hafs praefectum fuisse Rayae, quem Mamounus, missa epistola, ad montem Domawend proficisci jusserit et conditionem eorum, qui ibi vinculis tenerentur, explorare. Postquam, sic inquit (*Mousa*), pervenimus ad vicum in montis radice situm, per aliquot dies viam non invenimus, donec tandem senex quidam ad nos accessit, cui mandatum Khalifae exposuimus. Ille autem respondit: Fieri omnino non potest ut propositum assequamini; sed, si vultis, rem tamen vobis monstrabo. Quod cum Emirus approbasset, senex nobis in adscendendo monte praeivit, nos vero eum secuti sumus, et cum ad locum quemdam enixi essemus, summo studio ibi terram effodimus, donec nobis apparuit pars domus e saxo excavatae, et in ea imago formae mirandae, malleo domus tectum singulis horis percutiens. Qua de re cum senem interrogassemus, respondit: Hoc est telesma Boyourasafi, hoc loco in carcerem conditi, ne umquam suis vinculis liberetur. Dein nos monuit ut telesma intactum relinqueremus, utque illud suo loco reponeremus, cui etiam consilio obtemperavimus. Tum vero catenas afferri jussit, quae inveniri possent, maximas, illasque, Emiri imperio allatas, inter se colligavit, ita ut centum ulnarum longitudinem aequarent, easque suspendit, et (*per catenas descendens*) locum quemdam effodit, quo janua apparuit, ad cujus limen accessimus. Erat autem janua pessulis ferreis clausa, et in porta scriptum inveniebatur: Haec est bellua, cui spatium vitae diuturnum. Nemo hanc januam vi aggrediatur, nam, eâ apertâ, ingens huic regioni malum accidet, haudquaquam depellendum. Ergo Emirus eam intactam relinqui jussit, donec venia petita esset a Khalifa. Deinde domum restitui praecepit, sicut antea fuerat. Veniam igitur introëundi cum a Khalifa petivisset, hic ipsi, ut omnia integra relinqueret, rescripsit.

Fons Nahawendis. Narrat auctor Muneris rerum peregrinarum, in Regione Montana prope Nahawend fontem esse in montis fissura, ad quem quicumque aquâ ad terram rigandam opus habeat, accedat, et ingressus, alta voce clamet: Ego aqua indigeo. Tum ad arvum suum redeuntem aqua sequitur. Ubi vero eâdem non amplius indiget, ad cavernam fontemque revertitur, et terram pede suo percutiens: Jam, inquit, aqua mihi sufficit; quo facto iterum deficit.

Ex

Ex Libro, qui Odor florum mirabiliaque regionum inscribitur, auctore Abou Abdalla Mohammede ibn Ayas.

Sultania urbs est nova Regionis Montanae, inter Abhar et Zendjan sita, quam A. 705 (Chr. 1305—6) condidit Sultanus Mohammed ibn Argoun Khan. Evasit haec urbs pulcerrima, nam multa in ea majora minoraque templa et delubra exstruxit, locumque hortis, fructibus et floribus frequentavit, puteos effodit, fontiumque aquam eo deduxit. Antiquitus hujus urbis tractus regibus, tempore aestivo, venationis locus fuerat, neque in eo domus erant, neque pascua. At Sultanus Mohammed ibn Argoun Khan quominus urbis exstructionem absolveret, morte impeditus est.

Ferahan, pagus celeber Hamadanis, in quo lacus quatuor parasangas longus totidemque latus invenitur, cui inter alia hoc proprium est, quod aqua illius, si homines ab eo abstineant, in salem concrescat; ad pristinum vero statum redeat, si ab eo non abstineant. 81

Kermisin, est pagus quidam Kermanschahi inter Hamadan et Holwan situs, quem Kobadum ibn Firouz, unum ex Persidis regibus, cum aliquando valles regionis (*Persicae*) perquireret, ceteris locis aëris salubritate, aquae dulcedine solique ubertate longe praestantiorem invenisse ferunt; quamobrem hunc sibi elegit, in eoque arcem, Kasr al Losous (sive *arx latronum*) dictam, condidit. Inter hujus pagi mirabilia censetur lignea substructio sedendo adaptata, centum cubitos longa et lata, et triginta alta, in quo Rex Aberwizus, exercitu suo cinctus, sedere solebat. Laudatur autem ob opificii praestantiam. Ceterum ex hoc vico oriundus est Doctor Abou Ishak Ibrahim, vulgo Schayban Kermisinita dictus. Fuit ex religiosorum numero.

Kazwin. Scito hanc urbem, Armeniae propinquam et in terra late patenti sitam, bono frui aëre, multisque consitam esse hortis. Haec urbs duabus partibus, quarum altera alteram cingit, constat, et a Schabouro Dzou'l Aktaf condita, ab Haroune Al Raschido A. 154 (Chr. 770—1) novo et valido muro munita, temploque magno ornata fuit. Inter hujus urbis mirabilia etiam hoc referendum est: quod istius templi locus separatus principi destinatus, sublime sub melonis forma quasi a tholo pendeat, cui similis nullibi terrarum exstat. Porro admiratione dignum est, quod hujus urbis horti semel tantum quotannis rigentur. Denique, quod pulvis coemeteriorum civium hujus urbis eximie valeat ad ventris dolores, si qua animalia iis laborent, expellendos: nam, si quando pecudes simul cum herba terram glareamve voraverint,

eoque ventris dolores patiantur, ad sepulcra civium hujus urbis, servorum Judaeorum maxime, alligantur, quo facto, dolor celeriter cessat. Atque hoc quidem experientia comprobavit. Ab hac urbe cognomen habet Doctor Abou Becr Al Scheibani, item Doctor Abou'l Kasem Mohammed ibn Abd-ol Kerim Rafaïta, Ommaiada, Schafeita, mortuus A. 623 (Chr. 1225—6), anno aetatis circiter sexagesimo quinto. Educatus etiam in hac urbe fuit vir praestans Abd-ol Gafar, auctor libri, Collectanea de Juris Scientia inscripti. Porro Kazwine oriundus est vir eruditissimus Nadjm-eddin Ali ibn Omar Al Catebi, amicus Thousitae et auctor multorum librorum, de philosophia, logica, aliisque disciplinis. Denique inter alios etiam cognomen ex ea tulit Doctor Zacarya ibn Mohammed ibn Mahmoud Kazwinensis, auctor libri Mirabilia creaturarum appellati.

Pagus Kerkan Karmisini propinquus est. In eo homines inveniuntur, quibus nulla plane barba est.

Nawous Al Dhabiat (i. e. *templum capreae*) pagus quidam est Hamadanis prope castellum Bahram Djouris, in edito colle situs, fontibus hortisque cinctus, variis fructuum generibus dives. Causa nominis Nawous al Dhabiat haec est. Aliquando Bahram Djour capream glande missili petens, ejus aurem tetigit, at illa recedens aurem pede fricuit. Tum Bahram Djour sagitta e pharetra extracta, iterum capream feriit, illiusque ungulam una cum aure transfixit, ita ut caprea ibi loci prostrata sit. Inde nominis Nawous Al Dhabiat ratio explicanda est.

Nahawend, urbs Hamadani propinqua, inter antiquissimas recensetur, quippe quam 82 Noachum, c. d. b. v. condidisse ferunt. In hac urbe est lapis magnus, a parte inferiori perforatus, ex quo aqua semel quotidie scaturit et magno murmure exit illiusque regionis agros rigat; quo peracto redit, ut, unde effluxerit, eodem rursus hauriatur. Inter hujus urbis mirabilia celebratur rosa coerulea, acerrimum odorem fundens, in medio puncto flavo insignis. Sic etiam mirandus ipsi est calamus aromaticus, qui communis ligni instar est et nullum odorem spargit; sed, quam primum Nahawende effertur, insolitum diffundit odorem.

Hamadan urbs fuit amplae ditionis, domibusque frequens, quam Hamadan ibn Faloudj ibn Scham ibn Nouh, c. d. b. v. condidisse ferunt. Quatuor parasangas quaquaversum patebat, sed nunc deserta jacet, nec de ea quidquam nisi vestigia nonnulla domusque supersunt. Optima est ibi aëris temperies, et aqua dulcis; et propter ubertatem et fructuum aquaeque abundantiam hanc sibi semper urbem habitandam elegerunt reges. Quicunque in ea degit, eum quamvis malis oppressum tristitia deserit. Major pars civium homines sunt laetitiae lusibusque dediti, quoniam urbs condita est sub horoscopo Tauri, dum per illud signum stella Veneris transiret; quin

im-

incolae vulgo mentis stupore laborant. Narrant Darium Magnum, postquam ad bellum cum Alexandro gerendum profectus esset, substitisse Hamadane, eamque munivisse. Sed cum ipsum pugna aggressus esset Alexander, atque urbem vi expugnasset, Darium ab eo interfectum, murumque urbis dejectum fuisse. Memoria in hac urbe dignum est telesma, leonis formam gerens, supra urbis portam collocatum, opus Belinasi sapientis, frigoris nivisque avertendae causa confectum. Est enim haec urbs summo frigori obnoxia, et multa nive abundat, quamobrem poëta Ibn Khalawi cecinit.

Hamadan homines necat suo frigore et hyemis vehementia; ibique adversus calorem tuti esse possumus.
Hyems illius totam aestatem occupat et autumnum, ibique mensis Tammouz est similis Kanouno.

Ab hac urbe cognomen habuerunt Al Badi Hamadanensis, poëta Bagdadensis, et Abou'l Fadhl, auctor libri, Praecursores curarum inscripti, A. 398 (Chr. 1007—8) mortuus. Est autem in hac urbe fons aquae calidae, quae ex fissura montis oritur, et in receptaculum colligitur. Quicunque elephantiasi laborant, hunc fontem adeunt, cujus aqua calida loti brevi sanantur.

E Libro inscripto Selecti fortunae casus, mirabilia terrae marisque complexi, auctore Schems-eddino Abou Abd-Allah Mohammede ibn Abou Thaleb Ansarita.

Paragraphus sexta capitis septimi exhibet descriptionem Iracae Persicae, illarumque regionum, quae ipsi adjacent ad extrema usque confinia Iracae Arabum, ab oriente ad occidentem, quas inter alias cingunt et ambiunt extrema climatis secundi, tertii et clima quartum. Ad has provincias pertinet Regio Montana, cujus urbs primaria est Ispahan. Haec duabus constat urbibus, quarum altera, antiqua, maximam partem diruta, Schahraschana (*Schehrestan*) vocatur; altera vero habitata Yehoudia dicitur, et spatio milliaris a priori dirimitur. Causa hujus nominis haec est, quod Nebucadnesarus, postquam Judaeos captivos Hierosolymis abduxisset, hoc loco eos habitare jusserit. Habet ditionem, quae novemdecim nomos et ultra trecentos pagos continet, et octoginta parasangas longa est et lata. In Regione Montana est Nahawend, quae Mah Coufah, i. e. luna Coufae propter pulcritudinem conditionemque cultissimam dicitur. Noachus eam condidisse fertur. Ei viginti quatuor nomi subjecti sunt, quorum maximus est Roudrawar. (*In regione Montana*) primaria urbs est Carkh dicta, quae est Carkh Abou Dolafi Adjalitae; item Ha-

83

Hamadan, quae diruta et instaurata fuisse dicitur tempore invalescentis Islamismi; Azdaresnatan in ora deserti et Beroudjird. Carkh Abou Dolafi antiquorum aedificiorum reliquiis superstructum fuit, eamque dein Motazemus in quatuor nomos divisit, ut agrum Komensem Al Raschidus in viginti duos diviserat. Ipsa urbs (Kom) novem pagis constabat, ex quibus conjunctis totidem vici facti sunt. Fuerat autem uni ex vicis nomen Komian; quam vocem, Kef in Kaf mutata, compendii et celerioris pronuntiationis causa nonnullis literis privarunt. (*Aliae sunt urbes*) Kaschan, quam condidisse fertur Kaschan ibn al Dhohak; Kazwin, quam vocem Arabum more derivatam esse dicunt a Keschwin, quemadmodum Karmisin a Karmasan; Masandan, quam inter montes sitam esse ferunt, montibus Meccae, quam Deus summus nobilem reddat! simillimos; Rawend, quam condidit Rawend ibn Al Dhohak; Schemiri, quae etiam Mihrdjan vocatur; Laboud, alias Kazr al Losous dicta; Schehrozour in confiniis Mausalae, quam exstruxisse narrant Zour ibn Al Dhohak, eamque vocasse Schehrzour, i. e. urbs Zouris; Abhar et Zendjan, quae versus Adzerbeydjanam spectant; Khoutsan et Khotswan, quae ad Iracam Arabum referri dicuntur, et alias Alwan (*Holwan?*) appellantur et adjacent Regioni Montanae. Raya fuit sedes regum familiae Bouyae. Significatio vocis Raya est pulcritudo; ipsaque etiam vocatur Om Firouz, (*Mater Firouzi*), nec non Mohammedia, quoniam Mohammed ibn Al Mohdi in ea, patre suo vivente, habitavit, et illius templum majus condidit A. 158 (Chr. 774—5). Inter Regionis Montanae praefecturas etiam refertur Koumas, in qua sunt urbes Damagan, Samanan, Bostham, et Anbar. Sunt ibi etiam castella impiorum sive Ismaëlitarum, quorum maximum est Alalamout, quod ipsorum princeps sedem regni constituerat. Hunc machinae Sacandjil appellatae auctorem ferunt. Habet haec figuram caveae. Superne decem nervis instructa est, unde telum in hostes torquetur, cujus cuspis trium librarum omnia frangit, quibus incidit. Decem autem isti nervi ab utraque parte duobus annulis firmis, uti notum est, adstricti sunt. Quando vero quaedam fila nervorum aut nervi franguntur, omnis vis machinae Sacandjil perit, nisi nervus aliis filis intra biduum conficiatur. Singuli annuli, si aperiantur, constant duobus trientibus annuli, lunae increscentis speciem referentibus, cornua sua conjungentis. Et quando unus nervus frangitur, alius paratus est, qui celeriter nullâque mora interjectâ, in prioris locum machinae adaptetur. Atque haec quidem est machina, qua arcium incolis opus est. — Ex ejusdem viri inventis aliud etiam instrumentum est, cistae quadratae oblongae formam habens, et ex papyro confectum. Cujus cistae latera ex foliis sibi invicem appactis composuit, ut ejus pars superior et aërem excluderet, et noctu luminis (*interius accensi*) adspectum obtegeret. Jam vero, quando sex hujus cistae latera perfecerat, in singulis inscriptionis quan-

quandam speciem, resecta per forficem parte papyri, ita ut pars stratorum ejus remaneret, conficiebat. Dein istam partem subtiliorem, quam non exciderat, oleo inunxit, ut lumen posset recipere. Tum lampadem cistae imposuit, ut inscriptio ardens et ignea 84 appareret, eamque in aëre legeret quicumque eminus eam conspiceret, postquam cistam in hastae extremitate, vel in alio loco excelso suspendisset. Numquam autem nisi noctu suspendebat, dum eminus consideranti literae conspicuae forent. Interdiu vero exstinguebat machinam et occultabat.

Fluvius Ispahanis, cui nomen Zendroud, oritur in monte, nomo cuidam hujus urbis vicino, et dein omnes illius nomos praeterlabitur, eosque communiter aquis inundat. Tum vero in arenas immergitur, postquam per septuaginta parasangarum spatium terras Ispahanis rigavit. Tandem in mare Persicum se exonerat.

ANNOTATIO

ANNOTATIO CRITICA.

AD IBN HAUKALUM.

Pag. 3. vs. 1. مياه الكوفة والبصرة وما يتصل بهما ما ادخلناه في اضعافهما. Pro مياه الكوفة والبصرة rescribendum ماه الكوفة والبصرة, ut in versione expressimus. Infra etiam p. 7. v. 22 pariter ماه et ماهين pro Codicis lectione مياه et مياهين reposuimus, quae nullum sensum habet. Emendationem cum alia confirmant, postea in T. II accuratius et uberius memoranda, tum verba Abulfedae et Lexici Geographici, ex quibus p. 54, 57 et 75 editis, satis constat Mah al Coufah esse cogn[illegible] Daynowaris agrique circumjacentis: Mah al Basra autem appellari urbes Nahawend, Hamadan et Kom. Quod in fine sententiae legitur اضعاف *pares*, est a sing. ضعف *duplum*, *alterum tantum*. Nos autem sensu flagitante per *ambo* reddidimus. H.

Ibid. v. 3. تفرد in Cod. legitur نفرد, quod, propter sequens تضم, ita ut fecimus, mutandum esse duximus; quamvis ab altera parte verum sit ipsum Ibn Haukalum urbium Rayae, Kazwinis, Abharis et Zendjanis in Daylomitidis descriptione praecipue mentionem fecisse; ita ut jure نفرد scribere potuerit. Quod tamen si praeferatur, etiam نضم legendum erit.

Ibid. v. 5. Post كاملة librarius verba: بلغ مقابلته حسب الطاقة subjecit, quod passim ab eo factum esse jam supra Disput. p. 77 significavimus. Ceterum tenendum est effigiem Regionis Montanae in Codice desiderari; quamvis, ut ibidem p. 83 monuimus, spatium ipsi delineandae relictum sit.

Ibid. v. 10. والاجبان in Cod. والاحان. Sequentia وضروب التجارة من الزعفران corrupta esse videntur: quid enim sunt *varia mercimoniorum genera ex croco?* Fortasse legendum وضروب التجارة ومنها الزعفران, quod in versione nostra secuti sumus.

Ibid. v. 11. وبركوابه. Nisi ركوابه, sit nomen loci aut tractus, quemadmodum conjecimus, vox procul dubio corrupta est, nec vera lectio facile restituenda. U. Num forte legendum باركوا به *ejusque* (croci scil.) *possessione se beatos praedicant* (Hamadanenses)? H.

Ibid. v. 15. Post جبل عظيم desideratur numerus parasangarum. Dein ساسيان, ut in codice legitur, utrum recte scriptum sit nec ne latet.

Pag.

P. 3. v. 16. ويعرف بسنداان. Quamvis aliunde satis constet celeberrimum Chosroïs Aberwizi equum, de quo hic agitur, Schebdizum vocari, tamen, quoniam in Codice manifeste بسنداان legitur, nomen mutare non ausi sumus.

P. 4. v. 1. حلوان in cod. حوان.

Ibid. v. 5. فجميع ذلك اربعة وثلثون فرسخا. Sic, sensu flagitante, correximus. In codice enim tantummodo legitur فجميع ذلك ثلثون فرسخا.

Ibid. v. 6. من همدان الي الري. In Cod. deëst الي.

Ibid. v. 13. علي شهر. Quid illud شهر sit difficile dictu est; nam ejusmodi nominis locum nullibi reperimus. Fortasse vox corrupta est ex شهرزور, quae tamen urbs insigni intervallo tam ab Hamadane quam a Zendjane distat.

Ibid. v. 16. Verba ومن بروجرد et seqq. usque ad الاحوال ووجوه Codicis margini adscripta, hoc loco textui inserenda esse nota librarii indicat. Mox, v. 19 post illa: ومن جوسجان, sequentia leguntur, quae recte linea transversa delevit librarius: الي عشرة فراسخ وهي ايضا مدينة فوق بروجرد من كثرة الاهل وسداد الاحوال ومن بروجرد الي الكرج ووجوه ما تدعوا الحاجة اليه ومن جوسجان.

Ibid. v. 25. ازدامشر. In Cod. legitur اندامشر, et in margine iterum reperiuntur verba: ازدامشر مدينة فرسخان ومن قنطرة اندامشر.

Ibid. v. 26. الي قم اثنا عشر فرسخا. In margine legitur عشرون فرسخا. Sed pro recepta lectione pugnat Abulfeda. Vid. infra p. 57 (76) coll. p. 52 (69).

P. 5. v. 1. المروات. Sic legitur in codice. Verisimiliter corruptum est ex مروة.

Ibid. v. 2. خرج منها. In cod. male scribitur بها.

Ibid. v. 3. نيف وعشرون. Sive h. l. sive sup. p. 4. v. 5 error latet; nam ibi loci Hamadan a Daynoware اربعة وثلثون فرسخا distare vidimus.

Ibid. v. 6. ومن قم. In cod. inter duo haec verba errore scriptum الشيروان linea transversa librarius delevit. Mox v. 7. pro بروجرد in cod. legitur برودجرد.

Ibid. v. 8. وهذه المدن عليه تسايره. Sic in cod., sed legendum videtur عليها, ita ut affixum ها ad مدن referatur.

Ibid. v. 10. ومدينة. In cod. deëst copula و.

Ibid. v. 11. In margine legitur احوال همدان.

Ibid. v. 15. وفيها مياه. Haec verba, quae in cod. post من اهل همدان (vs. sq.) inveniuntur, ibique sensum turbant, huc retrahenda videntur. — Participium مستشرف ad اهل referendum est, et, notione a Sp. I repetita, *eum significat, qui gloriam petit*; quo sensu Lexicis est addendum. — Vs. 16. وان corruptum videtur. An وانّي? Post في (vs. sq.) aliquid excidisse videtur.

Ibid. v. 21. وهي مثلا. Legendum videtur مثل. Quod licet facile reponi potuisset, in textum tamen inferre noluimus, quoniam graviora hic fortasse latent librariorum vitia. Nam profecto haec sibi invicem repugnant Yehoudiam Schahrestana fuisse majorem et simul magnitudine similem.

Si rescribatur وباليهودية, una addita litera tota sententia mutabitur, et nisi vera, at verosimilis tamen fiet. Tum enim sensus erit: in utraque urbe et Yehoudia et Schahrestana esse suggestum, i. e. templum, Yehoudiae vero templum altero majus esse. H.

P. 6. v. 2. علي باب مسجد الجامع احداهم وسوق أخري. Locus, quem, ut in cod. invenitur, descripsimus, nonnullarum vocum, ut videtur, omissione, corruptus est. Sensum aliquem probabilem his verbis in versione tribuere conati sumus.

Ibid. v. 4. حمولة بن علي. In cod. ابن; quod vitium passim obvium semper correximus, adeoque illud semel indicasse sufficiat. — Ceterum hac occasione monere liceat, nos in variis Codd. MSS., etiam illis, qui a peritissimis Linguae Arabicae librariis exarati esse videntur, fere semper ابن cum ا scriptum invenisse, etiamsi nomen proprium proxime praecederet et sequeretur, quando in versus initio positum est. — Mox illud آل, margini adscriptum, textui inseruimus.

Ibid. v. 9. والمنبر منه, in cod. male منها.

Ibid. v. 14. وهو نحو نصف vocabulum نحو a librario omissum, in margine scriptum reperitur.

Ibid. v. 19. وزروع. In cod. legitur وزوع.

Ibid. v. 20. صغيرة. Hanc vocem in cod. praecedit comparativus اصغر, quem tamen linea transversa superne ducta delendum esse indicat. — Mox, vs. 21, ad verba ولا عامل وكذلك مدينة شهرورد cf. ea, quae supra, in Disput. de Ibn Hauk. Oper. Geogr. p. 75 sqq. monuimus.

Ibid. vs. 22. Vulgatam lectionem رفعتها servavimus, eique probabilem sensum in versione tribuere conati sumus. Vel sic tamen magis nobis arridet رقعتها, *ditio ejus*. Cf. infra p. 7. 27.

Ibid. v. 27. قناة in cod. قنات, quemadmodum mox v. seq. in eodem شرات pro شراة legitur.

P. 7. v. 2. منهم غير رييس. Valde dubito an locus sanus sit. Forte legendum غيره. Neque etiam quod sequitur, سواني, ut in cod. legitur, dubio vacat. Mutandum censuit Hamakerus V. Cl. ﻧ in ﻗ, ita ut sit سواقي, atque aqua non camelorum sed rivorum ope afferatur. — Mox v. 4 scripsimus الي pro آلي, quod codex habet, et لاشير, quod urbis nomen est, pro لاشيه, ut in cod. legitur.

Ibid. v. 7. وبلغوها bis in cod. scriptum, semel linea transversa deletum est.

Ibid. v. 10. المفيضين. Sic legendum, non المفضيين, ut in cod. scriptum est.

Ibid. v. 19. من اكراد شهرزور cet. Locum hunc intricatissimum, verborum sensum proxime secuti, vertimus ut potuimus. At vereor ne pessime sit depravatus. U. Nobis locum etiam atque etiam considerantibus sic videtur: ferri quidem posse vulgatam lectionem, si omnia, inde a وهو من طولها vs. 16. usque ad من اكراد شهرزور vs. 19, in parenthesi ponantur, et auctoris sententia sic explicetur: lineam, quae montes cingat, ducendam esse versus Amidam, tum ad Holwan, Saymaram etc. Sed tum absurdus omnino erit transitus ab Amida ad Holwan, quarum urbium altera a septentrione, altera a meridie Schahrzouris sita est. Praeterea dubitari potest an Curdi Schahrzouris omnes istos montes tenuerint, de quibus in parenthesi loquitur auctor. Ergo equidem parenthesin claudere malim post اكراد et ante شهرزور supplere ومن. Qua emendatione duo lucrabimur. Nam et obscuritas a longiore parenthesi illata tolletur, et auctor a Schahrzoure, unde sibi incipiendum decreverat, bis processerit, primum ad septentrionem, deinde ad meridiem. H.

Pag.

P. 7. v. 21. جبل القبق. Sic legendum pro جبل القيق, ut in cod. invenitur. Alio nempe loco, cod. p. 56. v. 8 extr. idem mons, de quo hic agitur, جبل القبق vocatur, acceditque auctoritas Lexici Geographici in v. قبق.

Pag. 8. v. 1 et 2. من ان. Post من aliquid excidisse videtur. Forte legendum est منها.

Ibid. v. 4. وجهه in Cod. male legitur ووجهه. — Mox v. 6. لا post نفيس abundare videtur. Porro v. 9. scripsimus صورة الفرس pro صورة كسري, quemadmodum in cod. traditur. — مصورا v. 10. ita ex cod. descripsimus: ferret vero etiam Grammatica مصور. — Ibid. post شيرين particula في desideratur.

Ibid. v. 17. وجبل الحرث باردبيل. Sic corrigenda esse putavimus corrupta verba Codicis وجبل الحارث بدبيل. Cujus emendationis caussas in notis philologicis postea trademus. H.

Ibid. v. 18. الخرومية vocis scripturam, quam Codex offerebat, haud temere mutandam esse existimavimus, licet الخرمية p. 7. 21. omnino praeferamus.

Ibid. v. 21. واما cet. de hoc loco vid. sup. Disput. p. 77. — In v. الماهات haeremus. Nam licet de duobus Mah in versione explicuerimus, cum nostri auctoris (cf. p. 7. 22) tum Lexici Geographici (cf. p. 75) auctoritate nixi, dualem tamen plurali feminino substituere ausi non sumus, cum الماهين vix in الماهات a librariis sit mutatum. H.

Ibid. v. 26. Post باجمعها omisimus librarii notam, textui insertam, وفي نسخة بجميعها له, de qua vid. sup. l. l. p. 77.

AD YAKOUTI MOSCHTAREKUM.

P. 9. v. 7. Correximus غيم الجبل, cum in cod. legatur غلم الجبل. Viam emendandi ostendit vox ابر apud Persas de nube usurpata. H.

Ibid. v. 11. من الفقهاء المالكية; in cod. legitur من الفقها المالكية.

Ibid. v. 13. ومات في شوال سنة خمس وسبعين وثلثماية. Sic legitur in codice; sed sine dubio vitiose; nam haud verosimile est Abou Becrum, anno natum 239, anno 375 demum obiisse.

P. 10. v. 1. وبين همدان. In cod. vocem همدان praecedit استراباذ, a librario deleta. Mox vs. seq. pro اجتيازه in cod. legitur اختياره, quod h. l. minus convenit.

Ibid. v. 6. ابي علي in cod. male ابو.

Ibid. v. 10. وهي احدي قصبتي الانعار. Sic legitur in cod. Nos autem ita vertimus, quasi legeretur الاثغار, licet illam conjecturam, ut nimis incertam, in textum non intulerimus.

Ibid. v. 24. وسكون الواو. In cod. deëst الواو. Mox v. 26 scripsimus عمل بوزن pro عمل يوزن, quod in Cod. invenitur.

P. 11. v. 19. خلق. In cod. حلق. Idem vitium correximus infra p. 16. v. 15.

Ibid. v. 26. بن عبد الرحيم. Errore scripserat librarius بن عبد الكريم, sed الكريم delevit, et pro eo substituit الرحيم.

 Pag.

P. 12. v. 4. عامر الشعبي et سفيان الثوري. Ita haec nomina scribenda esse magis ex Ibn Khall. n. 265 et 316, ubi horum virorum vitae exstant, quam ex Codice h. l. punctis diacriticis destituto, effecimus. H.

Ibid. v. 12. وقاف والف in cod. وقاف والالف.

Ibid. v. 23. من قري اصبهان etc. Locum hunc duabus glossis purgavimus. In cod. enim sic legitur خوزان — من قري اصبهان قال ابو بكر بن موسي رايتها قال الحافظ ابو موسي وينسب اليها قلت انا ولا ادري الي ايها ينسب احمد بن محمد الخوزاني الشاعر متاخر Quo in loco قلت انا ولا ادري الي ايها ينسب et رايتها قال الحافظ ابو موسي certe non Yakouto, sed librario tribuenda sunt, partim de varia lectione referenti, partim dubitanti, utrum ad hoc Khouzan, an ad aliud, Poëta Ahmed ibn Mohammed pertineret. H.

Ibid. v. 25. ابو عبد الله ابو العباس. Sic nomen in codice legitur adeoque, cum nulla mutandi nobis auctoritas esset, illud eadem ratione describendum esse putavimus. Fortasse autem Ahmedus duo praenomina habuit, ita ut legendum sit ابو عبد الله وابو العباس.

P. 13. v. 6. المذكر. Sic habet Codex. Vocem ita transtulimus, quasi legeretur المذكور. Quam correctionem haud improbabilem, textui tamen obtrudere noluimus, quia adhuc dubitamus an librarius in trita voce adeo facile haerere potuerit, et nescimus an in superioribus ejusdem viri mentio facta sit. Forte المذكور positum fuit pro المشهور ut infra p. 14. 24.

Ibid. v. 8. ينسب اليها in cod. اليه; mox, v. seq. scripsimus قدماء مشايخ pro قدماء المشايخ.

Ibid. v. 26. وثمانين. Hoc verbum, quod e codice exsulabat, restituimus. Vs. seq. pro خانخاهة in cod. legitur خانجاهة. Nobis prius placuit, quia propius accedebat ad خانكاه vel خانقاه *coenobium*. Cf. L. G. p. 66, 7.

P. 14. v. 14. السيروان. Ad hunc locum infelici casu a nobis omissa sunt sequentia: السيروان كورة بالجبل وهي كورة ماسدان وقيل بل هي كورة الي جنب ماسدان وقال قوم هي قرية بالجبل ولم تحقق. *Al Sirouan, nomus in Regione Montana, haud diversus a Masendane. Dicitur vero etiam esse nomus Masendani adjacens. Tradunt vulgo hunc esse pagum Regionis Montanae, de quo tamen non certo constat.* Utrum autem Masendan an Masabadan legendum sit dubium est, nam litera quarta puncto caret. Vid. infra nota ad Abulf. pag. 56. v. 6.

Ibid. v. 20. مهر جانقذف. Repone مهرجانقذق, ex auctoritate cum aliorum, tum imprimis Lexici Geographici. Cf. infra p. 76. In codice nomen punctis diacriticis carebat.

Ibid. v. 24. بلدة. Sic reposuimus pro بلد, quod in codice legebatur; nam femininum genus postulabat proximum مذكورة.

P. 15. v. 10. بمقابر بشط. De vocis بشط et scriptione et significatione dubitamus. Interim vertimus, quasi nomen pp. foret.

Ibid. v. 22. ينسب اليها. Deëst in codice nomen viri ex hoc loco oriundi.

Ibid. v. 26. الزبدة. Vocem descripsimus qualem in cod. invenimus, nam quomodo pronunciandа sit, non satis liquet.

Pag.

P. 16. v. 2. محمود بن سبكتكين. Male in cod. legitur محمد بن سبكتكين.

Ibid. v. 10. في قصة له. Verba quidem vertere conati sumus, licet de eorum integritate vehementer dubitemus.

Ibid. v. 25. ناحية كنستان. Sic manifeste legitur in codice. Loci nomen nobis prorsus ignotum et forte corruptum asterisco insignivimus.

P. 17. v. 22. عن ابن البنا. Sic edidimus, licet عنه ايضا legeretur in Codice, quae verba pertinent ad Ibn Al Banah, cujus mentio apud auctorem praecesserat.

Ibid. v. 25. دوابه. Locus procul dubio corruptissimus, quem sanitati restituere non possumus, licet in vertendo non multum ab auctoris sententia nobis aberrasse videamur. — Mox واخذا pro واخذ.

Ibid. v. 27. Uncinis inclusa in codicis margine scripta inveniuntur.

P. 18. v. 2. ابي عبد الله. In cod. deëst ابي, a nobis insertum ob caussas in T. II uberius memorandas. H.

Ibid. v. 6. وجيم. Hoc in cod. margini inscriptum est. Vs. 7. pro بين همدان وقرميسين in cod. legitur من همدان وقرميسين. Denique v. 8 scripsimus الهاشمي pro codicis الهاسمي (quam correctionem vox proxime sequens confirmat), et sequenti voci ابا copulam و addidimus, qua in cod. carebat.

AD KAZWINENSEM.

P. 19. v. 1. آبه بليدة بقرب ساوه (sic enim ubique pro ساوة legendum) طيبة الا ان اهلها شيعة غالية جدا. Voces بقرب et طيبة in codice carent punctis diacriticis; بليدة et puncto primo et extrema litera destituitur. In شيعة denique Ye nullis punctis insignita est. Quae scriptionis vitia in ipso statim initio occurrentia, exempli loco posuimus, quo lectores intelligerent quot et quantis defectibus Codex noster laboret. Haec omnia enumerare et infinitum foret et minime necessarium. Quare, levioribus omissis, illos tantum commemorabimus errores, qui codicem legentibus maximas creant molestias, et in quibus detegendis nos ubivis Hamakeri V. Cl. auxilio usos esse lubenter et grato animo testamur. Caeterum غالية nobis est *modum excedens*, ex Sign. II verbi apud Golium.

Ibid. v. 2. ابو نصر المستمندي in cod. المسمندي.

Ibid. v. 3. اتبغض. In codice sola ultima litera puncto ornata est. Sensus verbum يبغض postulare videbatur.

Ibid. v. 7. السابلة. Hoc loco et mox v. seq. سابلة magis sensui convenire existimamus, quam quod in cod. legitur, سايله, quamobrem ita correximus.

Ibid. v. 10. الصباغ in cod. male الصباع. Mox, uti et vs. seq. posuimus يشتوي pro يستوي. Dein pro ولو اوقدوا in cod. legitur ولو اتقدوا, quod manifeste falsum.

P. 19. v. 15. النزاهة in cod. punctis caret; mox v. seq. scripsimus القفل pro المعل et ولها قهندز pro ولهد فهدد. H.

Ibid. v. ult. dedimus ياوي pro اياوي, ut in cod. legitur, et يجسر pro بجر.

P. 20. v. 1. يبقي جاد اقطاعا جدا. Locus desperatus, qui ex aliis codicibus medelam exspectat.

Ibid. v. 2. في حجم القارنج; in cod. legitur في حصم الدايم. H.

Ibid. v. 8. سرداب in cod. legitur fere رداب.

Ibid. v. 13. الجزع. Ita pro الحرع in cod. invenitur. Mox v. seq. scripsimus تذكرها pro يذكرها.

Ibid. v. 16. ابهرية corrige الابهرية. In cod. male legitur الابرهية.

Ibid. v. 17. وهينا. Sic manifeste in codice legitur, quod utrum recte se habeat nescimus. Sensui, quem nos obscuriori narratiunculae tribuendum esse censuimus, quodammodo tamen respondet verbum وهي, si in Sp. II. positum et transitivum sit significationis ultimae Sp. I *existimatione eviluit.* H.

Ibid. v. 18. جيئتني. Ita vocem punctis diacriticis plane destitutam nonnullisque literis carentem legimus. In cod. nempe scribitur حتى. H.

Ibid. v. 21. بكمال البز. Lectionem codicis intactam reliquimus. Infra idem Vezirus appellatur جمال البز p. 48.

Ibid. v. 24. Correximus لممالكه pro بلمالكه. Pro احرار in cod. erat احراز. Vox انتم autem nulla puncta habebat.

Ibid. v. 28. يقصدها لتنقية. Ita codicis verba legenda esse conjecimus. Sola enim Kaf punctis erat instructa. Correximus وبينها pro ومنها. H.

P. 21. v. 7. تكش بن اتزيز. Corrige اتسز. Haec enim vera esse videtur scribendi ratio, si saltem, uti par est, nomen Turcicum habeatur. Apud Abulf. A. M. T. III. 312, 478, 542, est اطسز; sed hoc est nihili, اتسز autem significabit hominem vel equo vel carne vel cane carentem. In codice tres istae voces carent punctis diacriticis, una litera Te in اتسز excepta. Nos autem asteriscum apposuimus, quia Takesch non fuit filius, sed nepos Atsizi. Ergo aut inserendum est بن ايل ارسلان, aut scriptor, ut fit, genealogiam in compendium redegit. Pro بغلامة quod proxime sequitur, codex habet بعلامة quod forte minime repudiandum, modo legatur بعلامة *signi loco.* Tum enim sensus erit: Doctorem hanc epistolam misisse Takescho tamquam signum, ex quo praestantiam suam agnosceret. H.

Ibid. v. 9. ليصيبن. In cod. hic puncta nulla.

Ibid. v. 10. واشحنه in cod. واسحه.

Ibid. v. 14. يعرج. Sic legendum censeo pro يرجع, quod codex habet. Nam apertum est hic agi de adscensu in arcem per cryptam subterraneam, quam Sultanus ignorabat. H.

Ibid. v. 21. غورشاه. In cod. غورساحي. Proximo versu reposuimus فتذحج pro فترحج, favente sententia, cum ذحج in Sp. IV, idem sit ac اقام, quod non minus intransitiva *manendi*

di, *perseverandi*, quam transitiva *constituendi* significatione insignitur. Quod proxime sequitur مسرة variis modis frustra tentavimus. H.

Ibid. v. 24. وتقسمت. In cod. defective scribitur وتقسّت.

Ibid. v. 26. اسفجين. In cod. legitur اسفجين, sed nomen hoc recte cum Djim scriptum esse, apparet e Lexico Geogr. infr. p. 63 in v. unde etiam docemur nomen, quod mox sequitur, ونحر legendum esse.

Ibid. v. 27. Dedimus ويسقي pro وسقي.

P. 22. v. 1. بخفضة. In codice puncta desunt. Veram lectionem ostendit proximum ترفعة. Nam رفع et خفض solenniter opponuntur. H.

Ibid. v. 3. Legimus فزوج pro زوج, quod nexus sententiarum requirit; et vs. sq. اتفق pro ادمق; deinde عرس pro corrupta voce, hunc fere in modum scripta عسرس.

Ibid. v. 5. تحمل. In cod. يحمل. Dein scripsimus استغلت pro اسعلت, et vs. sq. فحملتها pro فحملته.

Ibid. v. 11. تبني in cod. legitur تبني. Vs. seq. مضمنة pro مصمدة.

Ibid. v. 14. ضيعة كثيرة. Sic etiam in cod. legitur, sed male. Legendum كبيرة. Idem codicis vitium saepius obvium, ubivis, ni fallor, correximus. — غنا ita ex cod. descripsimus. Utrum autem vox incorrupta sit, et recte per *dives* interpretati simus alii judicent.

Ibid. v. 17. واوفر ريعا. In cod. واوفر دوعا. — Vs. sq. يفي بنفقة. In cod. nulla puncta diacritica, quae etiam desunt vs. 21 in ييبس.

Ibid. v. 23. كانت كتّبة. In codice كانت كتبت. Tum in sqq. voces قنانها et يبخلون carent punctis et male scribitur دهاقيقها pro دهاقينها. Tum sic clauditur Ischtarwini descriptio: فما افادهم شيا استقضي ضياع اصفهان في تحسينها; quem locum accuratius considerantes mox agnovimus Ischtarwini et Ispahanis descriptionem in unum coaluisse: dein استقضي, quod sensum non habet, librario adscribendum esse, qui hoc verbo significaverit, hic capiti finem imponendum esse. Ergo اصفهان, quod exciderat, restituimus. H.

P. 23. v. 2. من بيت. In cod. deest من. — مياهها Male in cod. legitur مياوها. — Vs. sq. scripsimus فاختاروها et واقاموا pro اختاروها et اقاموا, ut nexui consuleremus.

Ibid. v. 8. تتزويقا. In cod. legitur تزوبقا et similiter in voce sequenti كتزويقهم.

Ibid. v. 9. نساجها scripsimus pro نفاجها, et vs. sq. وزنتها pro وازنتها.

Ibid. v. 13. وعجيب النسبة in cod. legitur وعجيب النسبة; dein الاقتراح scribendum esse apparet pro الاقتراح. — Quid vero sit illud ددىي, ut in cod. exaratum est, haud perspicimus.

Ibid. v. 19. لومة; in cod. legitur لومة, dein vs. sq. درس, ut videtur, a secunda manu in cod. correcta. Antea legebatur تدرس.

Ibid. v. 21. القشيري. In cod. العشيري. Vs. sq. verba: مقيدا لسعية in cod. sic scripta sunt: معتدا لسعدة. H.

P. 24. v. 3. الخجندي et vs. sq. يتبعه in codice omnibus punctis carent.

